Mortificatio virtus eſt, quã præ cæteris nobis commendat evangelium.

Dicere poſſumus in evangelio a Jeſu Chriſto nullam virtutem impenſius commendari, quam mortificationem. Non modica evangelii pars in eo vertitur, ut mortificationis neceſſitatem intelligamus, & nulla ibi doctrina ſæpius iteratur, & vehementius exprimitur. Ibi de cruce tantum, de morte, de abnegatione, de ſui ipſius odio, de vi ſibi inferenda, de arcta via, quam neceſſario ingredi debemus, eſt ſermo &c. . . . Sed ex variis rationibus, quibus Jeſus Chriſtus illam commendat, nulla mihi vehementior videtur, quam illa, qua nobis declarat, poſt S. Joannis Baptiſtæ prædicationem, hoc eſt poſtquam evangelica doctrina annuntiata fuit, regnum cœlorum vi tantum rapi, & ab illis expugnari ſolum, qui eamdem inferunt ſibi . . . Quid enim innuere vult Jeſus Chriſtus hac ſibi vim inferendi neceſſitate, niſi naturalium ſtudiorum noſtrorum motus nobis eſſe coercendos? Cum enim ex noſtra corruptione proveniant, omnia fere inordinata ſunt, quod vim, hoc eſt jugem requirit mortificationem. *Idem.*

Mortificatio magnam habet cum martyrio ſimilitudinem.

In Sanctorum martyrum honorem canit Eccleſia, illos breviſſima morte vitam æternum beatam ſibi comparaſſe: *Mortis ſacræ compendio, vitam beatam poſſident.* Sed hic honor, & hæc corona pro extraordinariis dumtaxat animabus eſt. Ut ad eamdem felicitatem perveniatur, mortificatio eſt mors diuturnior, per quam Chriſtiani tranſeundum eſt. Quantumvis tamen diuturna illa ſit, breviſſima eſt, inquit Apoſtolus, ſi cum ea, quæ ſubſequitur, felicitate comparetur: *Momentaneum, & leve.* O Domine mors me tibi in cœlo conjungere debet, & per mortificationem tibi, quantum fieri poteſt, conjungi debeo in hac vita. *Pater Dezenne libro de morali Jeſu Chriſti.*

Quantum noceat ſpiritui palpare corpus.

Corpus omnibus patet elementorum injuriis, innumeris infirmitatibus, ex quibus detrimentum aliquod & anima non recipere nequit; verum nihil animæ nocet magis, quam corporis commoda, & jure dicere poſſumus, carnis incommoda ex infirmitate ſpiritus oriri. Qui leoni blanditur, illum docilem, ac mitem facit; ſed qui blanditur corpori, illud magis crudele & ferox efficit. Non licet tamen huic hoſti mortem inferre, ſed illum infirmare, eique arma per mortificationem oportet auferre. Spiritus vires eo magis creſcunt, quo magis vires carnis imminuuntur. *Idem.*

Niſi diligenter attendamus, cum nimium conamur efficere, nimis parum facimus, hoc eſt cum plurimum corporis mortificationi deferimus, in ſpiritus mortificatione deficimus; atque hoc pacto in cum labimur defectum, quem Propheta olim Judæorum populo exprobrat: *Reſpexiſtis ad amplium, & factum eſt minus.* Aggæi 1. Quot inveniuntur mortales in mundo, qui ubi de honore agitur, facile ſuccenſent, & in iras erumpunt, cum interni in corpus ſuum immitem exerceant ſeveritatem? Nihil, ex S. Bernardi ſententia, immortificatius eſt hac immortificatione, quæ in omnibus hiſce immodicis auſteritatibus credit, ſe jure aliis in rebus remitti poſſe, & quin appetitum rationali voluntati, humanam voluntatem divinæ ſubjiciat, oppoſitum faciat. *Idem.*

Chriſtianæ mortificationis præſtantia.

Peculiaris mortificationis, quæ juris eſt perfectorum fidelium exercicitatio, præſtantia in ea conſiſtit, quod habet cum martyrio ſimilitudinem, & utraque ſimul cum Jeſu Chiſti morte, ac paſſione. Quid eſt eſſe martyrem, niſi teſtimonium perhibere veritati fidei, & religionis Jeſu Chriſti proprii ſanguinis effuſione. Verum eſt, in hac Eccleſiæ pace nos martyres eſſe non poſſe hoc modo; poſtquam Tyrannorum, ac Imperatorum perſecutiones deſæviere, fideles præclaram hanc amiſere occaſionem reddendi Jeſu Chriſto eamdem vitam, quam ab eo receperunt. Non deeſt tamen aliud mortis genus, reipſa minus crudele, ſed quod ingentis eſt meriti coram Deo, quam nobiſmetipſis propriis manibus conſciſcere poſſumus, ut S. Ambrobſius *l. 2. de Cain c.* 4. inquit, in nobis carnis deſideria, & affectiones occidendo. Hoc modo ſine lictore in ipſo pacis ſinu poſſumus mori: & ſi martyres naturalem amiſere vitam, ut Jeſum Chriſto ardentis charitatis ſuæ argumenta præbent, nos illi amoris magnitudinem teſtari poſſumus pro eodem carnis, ſenſuumque vitam amittentes. Hoc omnibus fidelibus faciendum eſt per mortificationem quæ, efficit, ut incompoſitis appetitibus noſtris moriamur. *Moralis Chriſtiana in Pater, l. 8. ſect. 3. art. 4.*

Quænam felicitas ſit mori voluptuariæ vitæ per mortificationem.

O nos beati ſi ita mori poſſemus, & vitæ noſtræ ratione innocuam hanc cædem exprimere! Quod enim Sanctus Patriarcha Abraham ſemel tantum præſtitit, hoc nobis toto vitæ noſtræ tempore faciendum eſt. Illud ipſum imperium, quo unigenitum ſacrificare fuit juſſus, illis omnibus irrogatum eſt, qui Deo integram polliciti ſunt fidelitatem; videlicet Chriſtianis omnibus imperatum eſt, ut amorem proprium, & ſuam immolent cupiditatem. Mors hæc voluntaria, quæ aufert animæ omnes vitæ carnalis ſenſus, Dei filios extollit ad magnitudinis gradum adeo ſublimem, ut ipſius Jeſu Chriſti vita vivant; ita ut cum Apoſtolo dicere poſſint; vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Ita poſtquam didicerunt inſignibus exemplis, nullam fieri jacturam ab iis, qui ſecundum carnem vivere ceſſant, & ſciunt quod huic mori, eſt vivere Deo, alacriter ſacrificant, corpus, & affectus ſuos, quos ſibi victimas depoſcit Deus, & jugi ſacrificio Creatori, Dominoque ſuo eum exhibent cultum, qui illi debetur. *Idem.*

Gratia nobis tradita ad mortificationem exercendam.

Gratia, quæ nobis modo data eſt, ut noſtros ſuperemus effectus, & in Dei ſervitute fortes permaneamus, nequaquam illi ſimilis eſt, quam Deus Adæ fuerat elargitus, quæ quidem in horto voluptatis conceſſa fuit, ubi nulla effectuum ſentiebatur rebellio, ſed e contra ubi corporis partes, animæque facultates rationi parebant. Sed gratiam habemus chriſtianæ religionis, prorſus generoſam, non alienam a principiis ortus ſui, & quæ cum originem in Dei ſanguine, & Crucis contradictionibus nacta fuerit, nobis data eſt, ut ſuſtineamus, & ſuperemus difficultates, quas Dæmon ſalutis, & perfectionis noſtræ conſiliis opponit, ut de ſinu noſtro affectiones revellamus, & perſeveremus in hac mortis exercitatione uſque ad noviſſimum vitæ noſtræ ſuſpirium. Hoc proculdubio arduum eſt opus, ad quod non mediocris generoſitas Chriſtiana requiritur. *Ex Anonymo Auctore.*

Deus in nobis deſtruere vult veterem hominem per mortificationem.

Deus in anima ſe gerit, velut Rex in Regno ditioni ſuæ nuper adjecto, ubi ad necem conquirit eos omnes, qui novæ dominationi reſiſtunt. Princeps hic quocumque horrorem, & vaſtitatem ferre videtur: ſed ut mox pace fruatur, atque delicias ſuas in otio, & tranquillitate poſt ejectos, vel deletos hoſtes inveniat. Deus hoc ipſum facit, cum in animam ingredi vult, ibi regnum ſuum conſtituturus: ſanguinem tantum cruceſque, & pœnitentiæ, ac mortificationis cogitationes inſpirat, ſed ut ibi ſuas leges conſtituat, & pacifice dominetur. *Chriſtianus interior libro primo.*

Audio ſanctos, inſigneſque pietate, & doctrina viros dicere, orationem apud ipſos ſuſpicione nequaquam vacare, cum minime conjuncta eſt cum irreconciliabili ſui ipſius odio. Nos vero, qui tantum abeſt, quod adeo ſanctis exercitationibus vacemus, ut in actionibus noſtris, quæ magis chriſtianæ ſunt, noſtræ ſatisfacimus curioſitati, ita vani erimus, ut nobiſmet perſuadeamus futurum, ut Deus ſe nobis communicet, ſuiſque nos cumulet beneficiis, quin mortificationem exerceamus? Bipalmaris error, & qui in eorum tantum mentes incidere poteſt, qui aſceticam vitam ne a primo quidem limine ſalutaverint. Donec miſera hac involuti ſumus carne, ſi nobiſmetipſis invigilaremus, neque in ſervitute cohiberemus hanc noſtram partem animalem, illa cor noſtrum traheret, caliginem offunderet puris luminibus, quæ nobis bonum oſtendunt, noſtram voluntatem, quæ hoc ipſum bonum alacriter debet amplecti, infirmaret, atque enervem efficeret. *P. Stephanus Chamillard.*

Oratio ſine mortificatione ſuſpicione non caret.

Quamquam Deus vos ad religionem minime vocaverit, & ſecreto ſuæ Providentiæ conſilio voluerit, vos in mundo permanere, non inde ſequitur, vos illi vitæ generi deſtinatos eſſe, ubi dies tota jugis ſit nugarum ſeries non intermiſſa, ubi honorem tantummodo confectemini, & veſtræ ſtudeatis utilitati; ubi ignoretis, quid ſit crux, auſteritas, abnegatio, & mors ſibimetipſi. Nihil doctrinæ, & evangelio, quod unica eſt morum noſtrorum norma, magis adverſatur. Vos autem nihilominus quid agitis? Statim ac in mundo remanere decreviſtis, illico infertis, vitæ veſtræ genus longe a clauſtrali vita abhorrere, & commodam eſſe poſſe, deliciis affluentem, ac talem, qualis vulgo in omnibus ſæculi hujus fidelibus cernitur; quaſi cœnobitarum dumtaxat, & nonnullarum piarum animarum eſſet auſteritatem, & mortificationem exercere, cœlum cum labore adipiſci, & ſalus nullis eſſet ſumptibus comparanda. *Idem Sermone pro die omnium Sanctorum.*

Mortificatio in omnibus ſtatibus, & conditionibus requiritur.

Ex ipſis Eccleſiæ incunabulis hæc percrebuit ſententia, in chriſtiana religione vitam crucis, & mortificationis eſſe vivendam. Et profecto quam auſteram, ſolitariam, crucifixamque vitam fideles primi duxerunt? Nulla voluptas, nulla humana oblectamenta; ſed jejunia, preces, auſteritates, corporis macerationes. Decurſu vero temporum cum ferventes Chriſtiani intuiti ſunt, labi chriſtianiſmum, ac priſtinum nitorem amittere, in Ægypti, Thebaidiſque deſerta ſeſe receperunt, abrenunciarunt ſæculo, intra cœnobia ſeſe receperunt, ideoque mortificationis neceſſitatem intellexerunt. Hodie vero putatis, Chriſtianos homine ſine mortificatione non defecturos? *Idem.*

Tota

Omnibus ſemper perſuaſum fuit in chriſtiana religione opus eſſe mortificatione.

Tota nunc temporis Eccleſia in luctu eſt, & pœnitentia; ego vero, qui ex filiis ejus unum eſſe glorior, doloris illius expers ſim? Nullum ſit inter me, Ethnicumque diſcrimen, & vivam ut illi, qui neque in Jeſum Chriſtum, neque in pretioſam illius mortem credunt? Paſſus eſt Jeſus Chriſtus innocuam carnem ſuam dilaniari, ut meæ rebellionem comprimeret; ego vero non deſinam, rebellem carnem iſtam palpare, oleumque addere camino huic infernali, quo abſumor; cum interim Salvator ſuum effundat ſanguinem ad flammas illius extinguendas? Ego ſcandali argumentum ero fratribus, atque domeſticis meis ea vivendi licentia, qua abutor? Quid nonne, & mihi vertetur crimini, ſi ea morum relaxatio, quæ hodierna die inter fideles ſatis magna eſt, multo magis augeatur? *P. de la Colombiere tom. 4. Serm. de jejunio.*

Exemplũ filii Dei nos ad mortificationem debet animare.

Si nos Jeſus Chriſtus invitat, ut noſtram ferentes crucem illum ſequamur, noſmetipſos abnegemus, nobiſque vim inferamus, nonne hac de re, immo etiam in rebus longe difficillimis heroica præbuit virtutis exempla? Si nos invitat, ut crucem bajulantem illum ſequamur; numquid cruces, quas nobis imponit, ſuæ pondus exæquant? Si præcipit, ut noſmetipſos abnegemus; videlicet ut incompoſitas affectiones noſtras abigamus; numquid nimium aliquid exigit petens, ut noxias ſuperaturi deſideria nobiſmetipſis vim inferamus, ipſo interim affectibus ſuis licet ſanctiſſimis, æquiſſimiſque ad ſanguinis uſque ſudorem reluctante? Ullane aderit nobis umquam occaſio ſimilem exercendi patientiam illi, quam toto paſſionis ſuæ tempore exercuit? *P. Nepveu in libro, cui titulus, Spiritus Chriſtianiſmi, tractatu de mortificatione,*

Prima nos mortificandi obligatio ex baptiſmate noſtro deſumitur.

Ex Baptiſmate noſtro validum deſumimus argumentum ad oſtendendam neceſſitatem, qua noſmetipſos, quatenus Chriſtiani, mortificare debemus: Baptiſmus enim, docente Apoſtolo, eſt repræſentatio mortis, & ſepulturæ Jeſu Chriſti, qui ex illo uſque tempore coegit nos nobiſmet, affectionibus noſtris, omnibuſque carnis cupiditatibus emori. Ita hoc vitæ Sacramentum, ſecundum Pauli ſententiam, eſt Sacramentum mortis, & ſimul quodammodo incunabula, & ſepulcrum nobis eſt; nobis enim conferens vitam, & gratiam, quæ Chriſtianos non facit, nos obligat, ut omnibus voluptuariæ vitæ, corruptæque naturæ moriamur. *Idem.*

Quatenus peccatores mortificare noſmetipſos debemus.

Mortificationi vacare debemus quatenus peccatores; ſi enim peccatores ſumus, toto pectore incumbere debemus, ut divinæ ſatisfaciamus juſtitiæ, & miſericordiam mereamur ſcelera noſtra expiantes. Verum quomodonam peccata noſtra poſſumus expiare niſi per pœnitentiam? Quid eſt peccator, Tertullianus interrogat, niſi *homo pænitentiæ natus?* At poteſtne agere pœnitentiam, quin ſeipſum mortificet? Puniendi, & mortificandi ſunt affectus illi, qui nos in crimen impellunt, affligandi ſenſus, qui, cum deerraverint, nos ſæpe in ſcelus præcipites dederunt; caſtiganda eſt caro, quæ rebellavit, & quæ rebellione ſua cor noſtrum trahens ſæpe effecit, ut in delicta prorueremus. *Idem.*

Chriſtiani qualitas ex nobis mortificationem requirit.

Poſtquam Jeſus Chriſtus mortificationem inſtituit, & initium ducere voluit ex virginalis carnis ſuæ mortificatione, illam in corporibus noſtris circumferre debemus, quæ non aliud ſunt, quam corpora peccati, ac impuritas. Hoc pacto perficiendum a nobis eſt, quod deerat paſſioni Domini noſtri; vel ut melius loquar, quod voluit Deus, ut in paſſione ſua nobis tamquam pars perficienda relinqueretur; quod nonniſi per corporum noſtrorum mortificationem poterat fieri. Quemadmodum enim illa inſtrumenta fuere peccati, inſtrumenta quoque pœnitentiæ, & mortificationis eſſe debent, idque eo magis; quod S. Paulus corpus noſtrum, non ſimpliciter corpus, ſed *corpus peccati* nuncupat. Oportet ergo mortificationem eſſe in corpore noſtro; & quicumque aliter operatur, hic neque mortificatus, neque pœnitens eſt. *In Sermonibus editis ſub nomine P. Bourdalove Sermone pro feria quarta Cinerum.*

Nulla eſſe poteſt ſine mortificatione pœnitentia.

Inordinatus noſtrorum corporum amor a neceſſario ad commodum, a commodo ad ſuperfluum, a ſuperfluo ad jucundum, a jucundo tranſit ad noxium; quod quotidiana experientia docemur. Mortificatio vero chriſtiana quid præſtat? Superfluum damnat, jucundum recuſat, commodum renuit, immo id etiam quod maxime innocuum eſt, & quod maxime neceſſarium videtur, ſibi interdicit. Quorſum autem? quia pœnitenti vitæ nihil his rebus magis oppoſitum eſt. Mortificatio omnes, minutas licet, reſpuit delicias. Quorſum? Quia nulla re magis a Deo divellimur; ideoque nos ab illis prorſus conatur ſejungere, quia corpori naturale eſt, omnia commoda inquirere. *Idem.*

Per mortificationem a licitis abſtinendum, ne ad illicita deveniamus.

De mortificatione præclarum nobis documentum præbet S. Gregorius. Ait autem, homini, qui in manu habet poteſtatem, ut eadem prudenter utatur, hoc eſt ne legitimos fines excedat, nonnumquam abſtinendum eſſe ab iis, quæ habet in poteſtate; quemadmodum enim licitum, ac illicitum exiguis finibus diſterminantur, & plerumque termini inter utrumque dubii ſunt, & ancipites, accidit, ut cum ea omnia facimus, quæ licent, periculum ſubeamus ea, quæ minime licent, efficiendi: *Solus in illicitis non cadit, qui ſe aliquando, & licitis caute reſtringit.* Ita niſi aliquando ab iis abſtineamus, quæ licita ſunt, libera, & voluntaria mortificatione, periculum adeſt, ut quam primum ad ea, quæ omnino prohibita ſunt, gradum faciamus: *Ex Anonymo Auctore.*

De religioſorum auſteritate, & mortificatione.

Perſuaſum eſſe debet, religioſum crucibus, & paſſionibus deſtinatum eſſe, ac ſtatum ejus ab omnibus ſanctis conſideratum fuiſſe veluti quoddam martyrium propter magnitudinem mortificationis, & abnegationis, quas continet; ſi hæc in lucem afferatur, & conſideretur tamquam fidelis imago, & imitatio vitæ Jeſu Chriſti. Crux propriæ loquendo ſemper fuit pars cœnobitarum, & quamvis ille hanc impoſuerit illis omnibus, qui felicitatem, & gloriam ex nomine illius nuncupandi obtinuerunt, peculiari tamen privilegio facta eſt portio eorum, qui inter clauſtra ſeſe receperunt, cum plerique illorum, qui inter mundi negotia verſantur, eam abdicaverint. Quamquam vero, de antiquorum ordinum ſeveritate non modicum remiſſum fuerit; attamen in eorum pleriſque inſignes adhuc ſuperſunt auſteritates, rigoroſa abſtinentia, exacta jejunia, dura cubilia, longæ vigiliæ, graves, difficileſque labores, inflexibile ſilentium, ſeparatio ab omni mundi commercio, jugis Dei præſentia, in omnibus actionibus vigilantia, ſolers in vitæ finem attentio, omnium denique ſolatiorum privatio, uno verbo dicam, perpetua crucifixio; ita ut religioſus nullam in terris oblectationem reperire queat, niſi in ſeipſo, ſuæque conſcientiæ teſtimonio. *Abbas trappenſis in explicatione regulæ Sancti Benedicti.*

Quam parum Jeſu Chriſto hac in re conformes ſint homines.

Ne minima quidem re noſmet privare poſſumus propter Deum, qui toto vitæ ſuæ tempore ſancta, divinaque gloria ſua ſe privavit, ut pro nobis pateretur, ut pro nobis venarum, & cordis ſui cruorem effunderet. Ubinam ergo ſumus? quo chriſtianæ religionis ſenſus evaſerunt? Ullane res eſt, quam ægre debeamus relinquere pro Deo, qui pro nobis omnia reliquit? nonne alacri, promptoque animo ſacrificare deberemus dignitates, opes, exiſtimationem, ad honorem filii Dei, qui ſupra triginta annorum ſpatio corpus ſenſuſque ſuos propter ſalutem noſtram divinis conſolationibus fraudavit: *Fromentiere Sermone de Transfiguratione.*

Sine Cruce, & mortificatione Chriſtiani eſſe non poſſumus.

Secundum S. Auguſt. ſententiam, nondum Chriſtiani eſſe incœpiſtis, ſi ignoratis, neminem eſſe poſſe Jeſu Chriſti diſcipulum, quin crucem ſuam geſtet poſt ipſum; neque ad Jeſum Chriſtum pertinere, niſi carnem, affectiones, & inordinata deſideria ſua crucifixerit; ut aliquis fidelis ſit noſtri Salvatoris imago, debere juxta Apoſtoli verba, in corpore ſuo mortis ejuſdem imaginem ſecum ferre. Sciendum vobis eſt, S. Leo inquit, membra veſtra ab ipſo Baptiſmi veſtri tempore facta eſſe membra Dei Crucifixi, eaque non poſſe capiti ſuo conformari, ſi hac vita a mortificatione abhorruerint: *Caro regenerati, fit caro crucifixi. Idem.*

In quo conſiſtat mortificatio, & mors ſpiritualis.

Spiritualiter mori eſt mundum abdicare, ab eo ſecedere, ſin minus corpore, ſaltem animo; omnem viſibilium, terrenarumque rerum affectum abjicere; denique ſpiritualiter id eſſe, quod mortui reipſa ſunt; hoc eſt, nulla re affici earum, quæ in terris ſunt, & nulla inordinata affectione turbari. Chriſtianiſmi Philoſophia, S. Chryſoſtomus, inquit, in hoc poſita eſt, ut mundum tamquam nobis mortuum, nos vero tamquam mortuos mundo conſideremus; quod ipſum in perſona ſua oſtendit Apoſtolus. *Idem Sermone pro die Paſchatis.*

Mala, quæ ex mortificationis defectu procedunt.

S. Paulus, qui erat vas electionis, corpus ſuum caſtigavit, ne fortaſſe reprobaretur. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitute redigo, ne reprobus efficiar.* 1. ad Cor. 9. Vos autem, fideles, quibus nulla eſt prædeſtinationis nota, vos, qui non ſolum carnem veſtram non caſtigatis, ſed in deliciis habetis, illam opipare nutritis; magnifice induitis, nihilque pati poteſtis, quod incommodet illi, quid vobis expectandum eſt, niſi quod contra rationem rebellet, gratiæ imperium excutiat, omne licentiæ genus ſibi arroget, voſque in omnem libidinem trahat, & vobis tot conflet mala, quot eidem procuratis bona, ac in æternitate vobis tot congreget ſupplicia, quot illi delicias comparaſtis, *Quantum in deliciis fuit; tantum date illi tormentum.*

Apoc.

Apoc. 18. *De la Volpelliere Sermone de Reſiſtentia tentationi.*

Mortificatio non pro religioſis tantum eſt, ſed pro fidelibus omnibus.

Mortificatio, auſteritas, pœnitentia, numquid in mundo minus neceſſariæ ſunt, quam in religione? In mundo nonne e contra plures ſuperandæ ſunt tentationes, plura evitanda pericula, plura crimina expianda? Ne voſmetipſos decipiatis rati, eo quod in ſæculo religionis indumentum ferre, & inſtituta ſervare nequaquam tenemini, ideo vos a religione immunes eſſe, & ſpiritum religionis omnino a vobis alienum eſſe debere. Præcepta non tam procul diſtant a conſiliis, quantum putatis; immo affirmare auſim præcepta ad evangelicam normam a vobis obſervari non poſſe, quin in conſiliis etiam aliquantulum exerceamini. *Fromentiere Panegyrico S. Bernardi.*

Praxis mortificationis.

Quanam in re circumciſio, & mortificatio iſta conſiſtit? In hoc, ut per ſpiritum opera carnis mortificemus, ut a quibuſdam ſocietatibus recedamus, quarum neceſſitudine periculoſam eſſe experientia docti intelligimus, ut interius mundi pompis abrenunciemus, ut a proximis peccandi occaſionibus abhorreamus, ut pœnitentem vitam ducamus iis ſatisfacturi criminibus, quæ patravimus, ut paulatim affectiones noſtras infirmemus, iis denegantes ea, quibus ali, foverique poſſent, ut nulla unquam carpamus ſolatia quocumque tempore, & ob quamcumque rationem; ut nonnumquam virtutis ergo iis abſtineamus, quæ per ſe eſſe poſſunt innocua. *Ex Sermonibus moralibus.*

Optime poſt Paulum Apoſtolum Sanctus Auguſtinus dixit, corpus noſtrum eſſe templum Spiritus ſancti, ſed templum, quod ædificatur. In ædificando illo requiritur labor, & donec ædificatur, ingemiſcimus. Umquamne animadvertiſtis, Auditores, cum magnum aliquod extruitur ædificium, omnia gemere? Gemunt marmora, ſecantur, cœlo, ſerraque cæduntur, artifices ſub laboris pondere gemunt; ipſa etiam cæmentariorum gemunt inſtrumenta, omniaque fumantia videtis: ipſe etiam ædificii redemptor hac illac diſcurrit, ut opus ſuum dirigat. Æterna ſalus magnum eſt ædificium, omniaque ad illud explendum gemere debent. Spiritus ſanctus, qui operis hujus conductor eſt, nonne ſecundum Scripturæ verba & ipſe gemit? Opifices, qui Concionatores ſunt, atque Paſtores ob laboris magnitudinem gemunt. Sed Sancti, qui ædificii hujus lapides ſunt, atque cæmenta, longe aliter gemunt, cæduntur, ſecantur, in fruſta perſecutionibus comminuuntur, vel ſeveræ mortificationis ſpiritu hæc omnia illi in ſeipſis perficiunt: *Tunſionibus, & preſſuris expoliti lapides. Deſumptus ex manuſcripto Sermone.*

Mortificationem perhorreſcere non debemus.

Si diſcipuli ſumus filii Dei, nos minime terrent auſteritates anguſtæ hujus viæ, quæ ſenſibus adeo videtur difficilis; hæc enim vita dura quidem, & ardua eſt, S. Auguſtinus inquit, ſed ſola eſt ſine periculo. Hic evangelicus enſis ſpiritum a carne ſejungens, hæc ſuimetipſius abnegatio, hæc ſeveritatis chriſtianæ lex, quam Salvator attulit in mundum, lex eſt gratiæ, & miſericordiæ. *P. Rapin lib. de perfectione chriſtiana.*

Spiritus Jeſu Chriſti ſpiritus eſt mortificationis.

Dicere ne poſſumus, vel unam ſpiritus Jeſu Chriſti ſcintillam, vel minimam ſenſuum ejuſdem habere particulam, donec auſteritates, & paſſiones, quas tantopere amavit, oderimus, atque detrectabimus? Eorum plerique, qui ſe devotos eſſe profitentur, religioni ſibi minime vertunt nullam ſenſibus ſuis oblectationem negantes, ubi crimine vacent: putant ſatis eſſe timere aliquantulum Deum, & ſalutem ſuam velle operari. Sed ſpirtualium virorum eſt ea etiam ſolatia reſpuere, quæ ſunt magis innoxia quia hæc Jeſu Chriſti paulatim nobis auferunt ſpiritum, vitamque noſtram vitæ illius palam opponunt, quæ tota in crucibus, privationibus, ac paſſionibus fuit. Quis pudor videre membra delicata ſub capite ſpinis coronato? *Ex libro cui titulus: Exercitia Chriſtiani interioris.*

Quomodo ſciam, utrum Jeſu Chriſti ſpiritum habeam, an in omnibus actionibus meis mero naturæ ſpiritu agam, cum corpus, & anima omnium oblectationum genere perfruantur, cumque in hoc vitæ genere natura ipſa ſummam voluptatem percipiat? Verum cum mortificatus ſum, exagitatus, & pœne laboribus obrutus, atque ſtatum hunc amo, quia ibi Jeſu Chriſti imitationem reperio, equidem ſcio, huc uſque pervenire non poſſe naturam, ſed me confirmari, & muniri gratia naturalis infirmitatis meæ defectui ſupplente. *Idem.*

Mortificatio magis admirabilis eſt in viris principibus.

Auſteritas, & mortificatio in hominibus ſemper ſunt admirabiles; ſed fatendum eſt peculiarem nitorem, ac meritum illis accedere, cum in magno aliquo viro, & in principum perſona inveniuntur, ubi eas dupliciter ſupernaturales eſſe, jure dicere poſſumus. Hæ profecto virtutes in ſeipſis ſupernaturales ſunt, excedunt quippe naturam, & nonniſi gratiæ afflatu efformantur; ſunt etiam ſupernaturales propter eorum conditionem, in quibus effulgent. Ut Princeps fortis ſit, liberalis, magnificus, prudens, opus non eſt, ut ſupra ſuam ſe conditionem attollat, vel ut ſuis affectionibus pugnet, ſed eas ſequatur, ſatis eſt; hæ quippe virtutes quodammodo fortunæ illius ſunt naturales. Sed pietas, pœnitentia, mortificatio, & auſteritas vitæ in principibus ſunt prorſus ſupernaturales; quas ut exerceant ſui obliviſci debent, ſeſe ſupra ſuam conditionem attollere, illam oppugnare, ac de illa victoriam referre. *Biroat, in Oratione funebri Domini de Langueville.*

S. Pauli ſententia de mortificatione.

Docet Apoſtolus, eos, qui Domini ſunt, carnem ſuam cum illo crucifixiſſe mortificationem circa ſe, ſuper ſe, & in ſe deferentes. Illam deferunt circum ſe, odio habentes objecta, quibus ſepti ſunt, & quæ ſibi adhærent; ſuper ſe, corpora auſteritate mortificantes; in ſe, affectionibus ſuis jugiter vim inferentes. Non loquor apud ſæculi filios, qui non ſunt Jeſu Chriſti crucifixi, quia voluptates tantum inquirunt, omnia exagitantes elementa, omnemque ſus deque vertentes naturam, ut guſtui ſuo ſatisfaciant, ut delicias ſuas ſibi comparent, ut variis ſeſe oblectamentis reficiant. Hi non didicerunt ex Tertulliano, Chriſtiani vitam eſſe debere martyrii tyrocinium. *P. Novet tomo 2. Meditationum.*

Excuſatio ex molli natura deſumpta.

At enim mollis es, affluentiæ, ac deliciis aſſuetus; vitæ hujus commodis carere non vales, tantum abeſt, ut corpus tuum poſſis mortificare: verum ſi re mortificare non potes, quomodo ſalvare te poteris? Cum ægrotabis, præter morbi dolores, qui aliquando ſunt acerbiſſimi, arctum, moleſtumque jejunium ſervabis; medicus enim hoc tibi præcipiet; amariſſima hauries pharmaca, membraque tua altius incidi, ſecarique patieris. Numquid qui æger eſt, magis viribus abundat, quam qui bona valetudine gaudet? an potius tantum de corporis valetudine laboras nihil de animæ ſalute ſollicitus? *P. de la Colombiere tomo 2.*

Chriſtiana vita eſſe nequit, quæ mortificata non eſt.

Profitetur S. Paulus, ſe rerum omnium jacturam nihil morari, & quidquid in mundo locupletiſſimum eſt a ſe flocci fieri, dummodo Jeſum Chriſtum lucrifacere valeat: *Omnia arbitror, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*, ad Philipp. 9. Hodie vero prorſus oppoſito ſenſu ſperamus nos illum lucraturos mollem, & immortificatam vitam ducendo; & ut verbo me expediam, in pernicioſo hoc errore vivimus, poſſe videlicet Chriſtianos nos eſſe vitæ hujus ſuavitatibus perfruentes, deſideriis noſtris ſatisfacientes, honores, opeſque conquirentes, atque cupiditati indulgere ſtudentes. Putamus nos eſſe poſſe Chriſtianos, quin ad eam cordis abnegationem veniamus, quam Jeſus Chriſtus, patreſque omnes vocationis noſtræ ſanctitati omnino neceſſariam eſſe cenſuerunt. Hæc enim chimericæ devotionis ars eſt: chriſtianiſmi gloriam appetimus, at illius laborem, crucemque refugimus; illum nobis honori vertimus, ut conſcientiæ aculeos obtundamus, at jugum illius tamquam nimis grave, & non ferendum detrectamus. *P. Bourdalove in Sermonibus.*

Difficultas, & labor, quē experiuntur corpus mortificaturi.

Carnis noſtræ artes ejuſdem importunitati non cedunt, blandus eſt inimicus, cujus vis, & aſtus æque ſunt noxii. Quomodo vis, S. Joannes Climachus inquit, me vinculis meum corpus obſtringere, ſi mihi elabitur, antequam illud in vincula conjicere valeam; vel me perſequi illud, ſi mihi redit in gratiam, antequam bellum eidem indicere valeam? Quomodo vis, me odiſſe illud, quod a me natura jubet amari; vel ſine ulla miſeratione damnare fontem, qui me ad miſericordiam flecteret, antequam in illum judicium ferre valerem? Ego in omne tempus illi devinctus ſum, quomodo vis me ab eodem ſeparari? Cum illum reſurrecturus ſum, & vis me illi mortem conſciſcere? Per ſe corruptibile eſt, & jubes per induſtriam a me fieri incorruptibile. In illo adeo oppoſitas qualitates invenio, ut quanam ex parte illud oppugnare debeam ignorem. Ille mihi, & favet, & bellum infert, mihi fert opem, & me laceſſit, mihi auxiliatur, & ſtruit inſidias. Si bene ſecum ago, contra me rebellat; ſi illud ad officium per mortificationem redigere ſtudeo, vires amittit; ſi quid illi remitto, inſoleſcit; ſi nimis affligo, mihimetipſi minatur interitum. Quodnam prodigium in hac mei corporis, animæque mixtione invenitur? Quinam fieri poteſt, ut ego ſimul, & amicus meus ſim, & inimicus? *P. Novet, vita Jeſu Chriſti in Sanctis.*

Mortificatio, & auſteritas, non difficilis illi qui diligit Deum.

Amanti Deum, ac propter illatas eidem injurias vere, & ex animo dolenti nihil difficile. Ideo veteres illi ſolitarii tanto ardore amplectebantur jejunia, vigilias, labores, cæteraque pœnitentis vitæ exercitia; ideo rebus omnibus valedicebant, quantum in mortali carne fieri poterat, ſibique cum voluptate, ea negabant, quæ vitæ tuendæ neceſſaria charitas minus inflammata putaſſet. Quod ſi ſemet immolandi, ac deſtruendi cupiditate ſucceuſi aliqua ſibi permittebant, inde hoc oriebatur, quia illis carere non poterant, quin Dei obluctarentur imperio. Nihilominus quantumvis magnæ illorum eſſent auſteritates, incomparabiles illi ſanctitate viri numquam voti compotes erant; adeo validas in cruce inveniebant illecebras, & deſiderium, quo eidem hærere ſtudebant, adeo erat vehemens, ut pro nihilo habentes quidquid auſteritatis exercebant, tamquam mollem laxioremque vivendi rationem damnabant eam, quæ ab aliis tamquam immodica pœnitentia damnabatur. *Abbas Trappenſis tomo 2. de officiis monaſticis.*

Quid ſanctos illos ſollicitatio ad mortificationem excitaret.

Conceptus, quem ſummi illi viri habebant de majeſtate Dei, qui ab ipſis læſus fuerat, efficiebat, ut nulla in ſe adeo levia agnoſcerent crimina, quæ graviſſimis non expianda ſuppliciis arbitrarentur. Quod ſi oculos in mundum conjiciebant, hæc adeo generalis vaſtitas, hoc malorum, ſcelerumque diluvium charitatem eorum inflammabat, excitabat zelum, nihilque adeo auſterum, durumque erat, dummodo vires non videretur excedere, quod divini illi homines non amplecterentur, ut coram Deo aliquod mundi iniquitatibus æquipondium afferrent, & juſtos, terribileſque iræ ejuſdem effectus averterent. *Idem.*

Mortificatio inter delicias.

Magnus hic princeps cordis ſui, actionumque ſuarum dominus, cum in affluentia, & locupletiſſimæ aulæ deliciis ſuis ſatisfacere poſſet cupiditatibus, iis circumſeptus hominibus, quibus placendi cupiditas ſimul, ac utilitas omnes ſuggerit artes, agnovit ſe conſummatiſſima virtute indigere, ut ſe a ſæculi contagione præſervaret. Serio eas omnes excogitavit rationes, quibus ſpiritum quidem confirmare poſſet, carnem vero infirmare; & antequam prodiret in publicum, ſecum tacitus cogitabat &c. *P. Cheminais in Panegyrico S. Ludovici.*

Mortificatio non conſilii tantum eſt, ſed præcepti.

Sibimet mori non ſimplex conſilium eſt in Morali chriſtiana, explicitum præceptum eſt. S. Paulus religioſoſne alloquebatur, cum dicebat, baptiſmum hominibus applicantem Jeſu Chriſti mortem illis neceſſitatem indicere cum eodem moriendi? cum dicebat, Jeſum Chriſtum ideo cruci affixum fuiſſe, ut nos crucifigerent mundo, & illis, qui illius ſe diſcipulos eſſe gloriabantur, carnem cum deſideriis ſuis eſſe crucifigendam? *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*, ad Galat. 5. Qui Chriſtianum dicit, hominem dicit mortuum, mundo crucifixum, & cui viciſſim mundus crucifixus eſt; neque vel unus eſt, qui imitari non debeat qualitatem, quam S. Gregorius Nazianzenus pœnitentibus ævi ſui conferebat; cum illos martyres viventes, & ſemimortuos vocabat, quia deficientibus terroribus, ipſi contra ſemeptipſos arma tenentur diſtringere, & manu propria diebus ſingulis aliquam ſui ipſius partem delere. *Fromentiere, in Panegyrico S. Benedicti.*

Cur noſmet mortificare debeamus.

Gratia, quæ Chriſtianos nos facit, in nobis fontem invenit, qui ideo ab illa puniendus eſt; verum id fierine poteſt ſine mortificatione? Ægrotantem reperit, illi idcirco pharmacum propinare debet, ideoque eſſe debet amara. Nanciſcitur in illo effrænem concupiſcentiam, corruptam voluntatem, violentas affectiones, carnem rebellem, hoc eſt totidem mortales morbos, quibus ut medeatur, concupiſcentia cohibenda eſt, affectiones domandæ, regenda voluntas, caro crucifigenda; quæ ſine mortificatione fieri poſſe qui ſanus dixerit? Eam qui amplecti detrectat, nonne ſuam amat infirmitatem? *P. Nepveu tomo primo Conſiderationum.*

Cum mortificatio pro omnibus ſit ideo præceptum eſt.

Si animam ſuam odiſſe, hoc eſt incompoſitos ſenſuum motus per mortificationem reprimere, eſſet conſilii; cur Dei filius minitaretur animæ jacturam, hoc eſt damnationem æternam illis, qui hac in re proprium amorem conſulerent? Nulla, ut inquit evangelium, in Cælum ducit via, niſi quæ arcta eſt: nonne igitur inevitabilis eſt neceſſitatis illam ingredi, ut ad cœleſtem perveniamus felicitatem? Verum ut omnem dubitandi anſam auferamus; evangelium nonne explicite memorat, Jeſum Chriſtum, cum de ſui ipſius abnegatione, & cruce geſtanda loqueretur, eum omnibus fuiſſe locutum: *Dicebat autem ad omnes.* Luc. 9. Nulla igitur dignitas, conditio, officium, ætas, ſexus diſpenſat, ne noſmet mortificemus, quemadmodum nulla, ne Jeſum Chriſtum ſequamur. *Idem tomo 4.*

Nimia, quā ſenſibus noſtris concedimus, licentia.

Idem parum adeo in Dei, & veritatem ejus cognitione proficimus, quod nimium licentiæ ſenſibus noſtris tribuimus. Per hos ſpiritus noſter ſe ſe effundit extrinſecus, atque ut ita dicam, a ſemetipſo dividitur. Per illos tot tranſeunt imagines, atque phantaſmata, quibus corrumpimur, vel ſaltem, quibus fallimur, & prohibemur ne animum ad illa advertamus, quæ noſtram attentionem requirunt. Hoc adeo verum eſt, inquit Apoſtolus, ut animal homo, quid Deus ſit, non intelligat. *Flechier, Panegyrico S. Bernardi.*

Quemadmodum Dei filius ratus eſt, ſuum erga nos amorem ſe melius oſtendere nequaquam poſſe, quam pro nobis patiendo, ac moriendo; ita non alia expetit mutuæ charitatis argumenta, quam vitam patientem, atque mortificatam. Cur autem tanta ſeveritas? Hæc ratio eſt, quia cor, quod vere amat, viciſſim verum amorem efflagitat, non autem fictum, & ſimulatum: at nihil noſtri erga Deum amoris veritatem magis probat, quam cordis inter labores, curaſque conſtantia. *De la Volpelliere Serm. de adverſitate.*

Mortificatio inter delicias præſtantior eſt.

Santi Dei, qui in ipſa affluentia, deliciiſque crucem invenire, ac geſtare didicerunt, veræ mortificationis præbent exempla. Quærere labores, dum evitari poſſunt, fugere voluptates, quæ ſeſe nobis offerunt, evocare, ut ita dicam, pœnam cum recedit a nobis, hoc illud eſt, quod in chriſtiana mortificatione maximum, perfectiſſimum, atque pretioſiſſimum eſt; tunc enim duplici fulget victoria, altera quidem de iis, quæ illam corrumpere, altera vero de iis, quæ ipſam concutere poſſunt. *Liber, cui titulus: Conſiderationes in varia religionis, Ethnicaque argumenta.*

Cœlum vi tantum, & mortificatione comparatur.

Dei filius teſtatur poſt S. Joannis Baptiſtæ prædicationem, videlicet poſtquam evangelica doctrina annuntiata fuit, Regnum cœlorum vi tantum acquiri. Hoc in ſenſu dicit, vitæ portam anguſtam eſſe, & paucos per illam ingredi; ideoque nos hortatur, ut omni niſu per illam intrare contendamus. Quid porro aliud innuit Jeſus Chriſtus per hanc crucis deferendæ, ſui ipſius abnegandi, arctam ingrediendi viam, vim ſibi inferendi neceſſitatem; niſi neceſſitatem mortificationis exercendæ, hoc eſt propriæ voluntatis abnegandæ, naturalium ſtudiorum motus infringendi; quia cum ex corrupta emanent origine, fere ſemper inordinata ſunt; & jugiter actiones noſtras impugnandi, eas vero præſertim, quæ magis vividæ, & pernicioſæ ſunt, quia ut plurimum nos in malum impellunt. *P. Nepveu in libro, cui titulus: Spiritus Chriſtianiſmi.*

Quocumque in ſtatu ſimus, peccatores æque ac innocentes, mortificatione indigemus.

Chriſtiani in duplex ſtatuum genus diſtingui poſſunt, quorum alii adhuc in ſtatu innocentiæ permanent, quam ab ipſo luſtrali hauſtam fonte integram ſervaverunt; quod perrarum eſt, & qui numerabiles ſane ſunt, utpote pauci; alii vero eam per peccatum, & ſæpe etiam per vitam omnibus peccatorum ſordibus coinquinatam amiſerunt. Illi profecto egent antidoto, ne in culpam decidant, neque vel objectorum illecebris, vel corruptæ naturæ ſtudiis, vel exemplorum torrente trahantur. Iis vero, qui ceciderunt, præterea valido opus eſt auxilio, non ut reſurgant ſolum, verum etiam ut divinæ ſatisfaciant juſtitiæ, & præterita expient facinora. Hoc autem antidotum prioribus eſt mortificatio, & potens hoc auxilium poſterioribus eſt pœnitentia; quarum neutra nequit ſubſiſtere ſine rigoribus vitæ auſteræ, quæ omnes oderit delicias, quas fideles tantopere conſectantur. Eſto quidem ex priorum numero, numquam Deum lethali læſeris noxa, receptamque per baptiſmum innocentiam caſte, integreque ſervaveris: nonne ultro fateberis, difficillimum eſſe hoc in ſtatu perſiſtere ſine graviſſimis ſollicitudinibus, & contentionibus? At tot inter pericula, & ſcrupulos, tot inter inimicos, & laqueos putare ſe nulli obnoxium crimini fore, non ſolum nullam mortificationem exercendo, verum etiam omnes ſibi permittendo voluptates, quæ palam inviſum criminis characterem minime deferunt: hoc nonne eſt inimicis ſuis arma ſuppeditare, & in eorum inſidias ruere: quandodoquidem ſine mortificatione, hoc eſt, ſine fuga objectorum, & earum rerum omnium, quæ ſenſibus noſtris blandiuntur, illæ evitari non poſſunt? Sin autem pleroſque homines inſpiciamus, qui baptiſmatis innocentiam non ſervarunt quidem, verum etiam omni ſcelerum labe fœdarunt; cum dubitandum non ſit, illos ſine vera, ſinceraque pœnitentia ſalutem ſuam operari non poſſe, non video, quomodo agere poſſint pœnitentiam, hoc eſt ſua flagitia relinquere, ac Deo toties per ſummum nefas læſo facere ſatis, ſine mortificatione, quæ a pœnitentia ſeparari non poteſt. Etenim poſtquam affectionibus ſuis nihil negatum voluerunt, poſtquam pravos contraxerunt habitus, poſtquam dæmoni abſolutum in ſe permiſerunt imperium, quomodo in animum inducunt, ſe ſine mortificatione poſſe eaſdem affectiones reprimere, eoſdem habitus exuere; hanc dæmonis captivitatem excutere, amare ea, quæ oderunt, & ea, quæ amaverunt, odiſſe? Hoc profecto non poteſt. *Ex manuſcripto Sermone.*

Quando exercenda ſit mortificatio.

Ex S. Pauli ſententia mortificatione utendum eſt omnibus in locis, omnibus temporibus, omnibuſque in circumſtantiis, ubi periculum eſt, ut Deo fidem non ſervemus: *Semper mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferentes.* 2. Corinth. 4. Quid? nonne ſatis eſt illam in corde geſtari? Haud ita; ſed circum nos, & in corpore noſtro eſt deferenda: *circumferentes.* Hac uti opus eſt contra quælibet objecta; hæc nos circumdet, ſequatur, comitetur, & protegat, oportet, veluti clypeus, quo circumundique, & contra omnes hoſtium impetus tegimur: nam undique patemus inimicorum telis; nec alia ratione ea poſſumus propulſare. *Idem.*

Corpus noſtrum, & vetus homo infenſiſſimus nobis eſt inimicus, quem punire debemus.

Viſne rationem, propter quam caſtigare corpus noſtrum, & per ſenſuum mortificationem veterem hominem deſtruere tenemur? Nonne ſatis magna ratio eſt ſcire, illud eſſe nobis inſenſiſſimum hoſtem? Conſideratio ejus mali quod nobis inſert, ac inferre non ceſſat, nos ad vindictam minime exacuit? Hic non eſt inimicus, cui vel blandiendum ſit, vel parcendum. Nulla habenda nobis eſt ratio cum eo, qui ſaluti noſtræ inſidiatur, niſi ut illum prævertamus, atque in nobiſmetipſis veterem hominem occidamus. Qui me ſequitur, Dei filius vero diſcipulo ſuo inquit, me ſequatur uſque ad Crucem, ut ibi morti tradat veterem hominem, hoc eſt, concupiſcentiam, & prava deſideria, quæ in nobis excitat caro. Homo peccator adhuc vivit in nobis per amorem proprium, quem nobis tamquam proprium ſpiritum reliquit. Ipſe etiam Salvator mortuus eſt, ut illum in perſona ſua, vel melius dicam, in noſtra interficeret; ipſe enim coram Deo noſtra erat figura, non ſecus ac fidejuſſor noſter erat in cruce. Oportet ergo, ut perficiamus in nobis ſacrificium juſtitiæ, religioni, & charitati Dei: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*, ad Coloſſ. 1. *P. Camaret tom. 2. libri, cui titulus: Purus, perfectuſque Chriſtianiſmus.*

In hoc deſtructo corpore deſtruendus eſt amor proprius: videtur hæc quidem non eſſe pœna graviſſima, quæ illi ſubeunda eſt; verum hac præ cæteris maxime afficitur. Opus eſt ergo in hoc peccati corpore, in carne hac peccatrice, ſpiritus Jeſu Chriſti, gratiæ illius, noſtræque ſalutis inimica, opus eſt, amorem proprium crucifigere: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*, ad Galat. 5. At enim, quanam in re crucifigendus eſt, quæritis? Ajo, in ſenſibus omnibus generatim, efficiendo, ut patiatur, non ſolum per privationem ſenſibilium omnium voluptatum, verum etiam per earum rerum, quæ illi contraria ſunt, applicationem. Quædam optioni relinquuntur noſtræ; quædam vero pendent a Deo, qui manum ſuam admovere dignatur: *Mortificat, & vivificat.* 1. Reg. 2. Quam excellens eſt ad amorem proprium enecandum hujus generis mortificatio! *Idem.*

Amoris proprii mortificatio.

Quemadmodum in uſu mortificationum contraria contrariis opponenda ſunt, ita amori proprio odium ſui ipſius opponere oportet: *Abnegat ſemetipſum.* Matth. 16. Heu quid! infelix hic amor proprius ultro mundi, dæmoniſque cruces ſubibit; eas libenter, nec ſine jactantia geſtabit; hæ illi graves minime videbuntur, idque pro turpi lucro, pro ſordido quæſtu, pro aſſerti honoris cauſa; vos autem gravate Jeſu Chriſti crucem ſubibitis? Vos illius murmur, iniquamque audietis querelam, ejuſque vos miſereſcet, mollique indulgentia ducti leve crucis onus abjicietis, amorique proprio parcendum cenſebitis? Quid! vobis lubet potius, ut in mundi, quam in Salvatoris cruce veſter proprius amor moriatur? Mori in cruce mundi, non eſt meritorum crucis Dominicæ participem fieri; e contra eſt, in ſe Jeſu Chriſti odium, & indignationem convertere, & eam abdicare felicitatem, quæ ſeu voluntariis, ſeu a Deo immiſſis paſſionibus comparatur. Sed in Salvatoris cruce mori, ibique proprium amorem crucifigere, hoc eſt in gloriæ Domini partem accedere. Hæc loquendi ratio myſterio non caret, ſed qui vero Dei, & Salvatoris amore flagrant, eam ſatis norunt. *Deſumptum partim ex eodem Auctore.*

Molles præſto non ſunt vitæ ſuæ, ſi neceſſe foret, pro Deo tradendæ.

Quid dicendum de mundanorum mollitie longe abhorrentium ab hac chriſtianiſmi generoſitate, qua tenentur pro fide, ac religione tuenda, ſi res ferret, ſanguinem vitamque profundere? Quomodo enim generoſum hoc inire poſſunt conſilium cordibus mollibus, & effœminatis, quibus vel minimæ mortificationis umbræ metum incutiunt; quæ ſexcentos prætextus inquirunt, ut ſe pœnitentiæ ſeveritatibus ſubtrahant; quæ ad id temperamenti, vel ſexus gracilitatem, aut generis nobilitatem prætexunt? Opus eſt, ut carnem ſuam mortificent, ubi ſeſe illis offert occaſio peccati alicujus, exempli gratia, vel expiandi, vel prævertendi. Quid expectari ab iis fidelibus poteſt, quorum temperamentum adeo delicatum eſt, ut ſtudiis ne minimam quidem vim valeant inferre; quorum corpora ita ſunt deliciis aſſueta, ita a doloribus perferendis abhorrentia, ut pro Jeſu Chriſti gloria, animarumque ſuarum ſalute nihil pati queant? Cum fides eorum, Tertullianus ait, effœminata deliciis ſit, quomodo delicatum corpus martyrium valeat ſuſtinere? *Biroat in Adventu.*

Corporis mortificatio parit affectionum mortificationem.

Sancti affectionum ſuarum malaciam, & tranquillitatem obtinebant tanta mortificationis auſteritate, ut magis mirum eſſet, quod viverent, quam quod affectuum ſuorum tumultum non experirentur. Cum corporibus ſuis veluti cum inimicis ſe gerebant; alebant illa tantum, ne morerentur; minimas etiam carnis rebelliones graviſſimis coercebant ſuppliciis: aquam ipſam, quam bibebant, non ſine querela miniſtrabant; neque aliud ſtratum habebant, quam vel nudam tellurem, vel tabulam. Niſi omnes eaſdem exercuerunt auſteritates, verum eſt tamen, omnes jejunaſſe, vigilaſſe, bellum ſenſibus ſuis indixiſſe, omneſque S. Pauli exemplum ſecutos jugiter in corporibus ſuis Jeſu Chriſti mortificationem geſtaſſe. Talis erat felix illa *Apathia* veterum Patrum, & talis eſſe deberet eorum tranquillitas, qui vivunt ſpiritui. Pax ſimul, & bellum: pax cum Deo, & conſcientia; bellum adverſus carnem. Quicumque ſe ad eum perveniſſe putant ſtatum, quo a corporum ſuorum mortificatione diſpenſantur, ſuam agendi rationem comparent cum ea, quam illi opponimus; & ſpero futurum, ut graviſſimam, in qua ſunt, illuſionem confiteantur: *Liber, qui inſcribitur: Vera orationis idea, parte altera capite 5.*

Qui cæteris ſanctitate præſtant, majoribus ſeſe exercent auſteritatibus.

Sanctiſſimus quiſque fere ſemper auſteritatibus eget; cum enim altiſſimum habeat de ſanctitate Dei conceptum, immiti ſeveritate in ſe perſequitur minimam quamlibet noxam, in quam ex fragilitate labitur. Innocenter ſuum corpus odit, illud auſteris obruit pœnis, quippe ſpectat illud veluti inimicum, qui ipſum a Deo poteſt ſeparare. Cum etiam interiori aliquo fretus teſtimonio confidit futurum, ut ſibi ſua crimina dimittantur, per charitatem in ſe mundi ſcelera aſſumit, eaque ad Jeſu Chriſti imitationem expiare contendit. Invidet martyribus, qui pro confeſſione nominis Jeſu Chriſti male habiti fuerunt, crucifixi, ambuſti, cæſi; neque præclaram martyrii occaſionem, quæ ſibi ultra non offertur, nactus vitam ipſam odit exemplo illius inſignis ſanctitate Virginis, quæ ſæpe in illa erumpebat verba: *Aut pati, Domine, aut mori. Idem.*

Sancta Thereſia.

At enim non omnes adeo mortificatam vitam ducere tenentur; verum quæro, numquid non omnes ſibi vim facere teneantur, ut ſaluti ſuæ conſulant? Numquid Cœlum aliis quidem pluris, aliis vero minoris ſtet comparandum? Numquid vobis aliud evangelium, aliæque leges ſervandæ ſint, quam illis, qui ante vos ſalutem ſuam operati ſunt? Heu! quandoquidem alia eſt via magis facilis, & commoda, o pii fideles, qui modo eo perfruimini regno, quod per vim eſtis adepti pretio veſtrarum mortificationum, ſeceſſus, auſteritatis; cur nobis oſtenditis iter adeo arduum, prærumptumque, naturæ moleſtum, ac noſtræ fragilitati deterrendæ aptiſſimum, ſi commodiori, faciliori, ac infirmitatibus noſtris aptiori via ad ſalutem poteſt perveniri? Cur nobis ad imitandum adeo difficilia reliquiſtis exempla, quandoquidem faciliora, & mitiora eumdem nacta fuiſſent eventum? O Deus! quam inſipientes ſunt homines, qui in diſcrimen ſuam ſalutem adducunt, quia ab aliis adducitur, & qui ſe damnant, quia alii damnantur. *P. Maſſilon de exiguo electorum numero.*

Ut agnoſcatis, quam eſſentialis ſit chriſtianiſmo ſpiritus mortificationis, ſufficit mea quidem ſententia ea vobis proponere imaginem, quam Sanctus Paulus, qui adeo perfecte Ethicam chriſtianam callebat, veri fidelis nobis reliquit. Magnus hic Apoſtolus docet, luſtrales Baptiſmi fontes quamdam eſſe imaginem ſepulcri Jeſu Chriſti: ſi Salvator jam mortuus in ſepulcrum illatus eſt, nos quoque ad baptiſmum deferimur, ut ibi moriamur: non ſecus ac Salvatoris paſſio illi vitam abſtulit, ut aliam eidem tribueret, eumque ex ea vita, quæ perfunctoria eſt, ac pluribus obnoxia incommodis, ad glorioſam, æternamque tranſtulit vitam, ita baptiſmum nobis adimere vitam, ut aliam conferat longe præſtantiorem; adimit quippe vitam animalem, & mundi voluptatibus deditam, ut vitam ſpiritualem, humilem, mortificatam, & chriſtianam largiatur. Ideo Tertullianus ajebat, fideles ad baptiſmum adduci conſueviſſe, tamquam ad mortificationis ſcholam, ubi diſcerent, quomodo & mundo, & voluptatibus omnibus morerentur: *Ad baptiſmum tamquam ad mortis tyrocinium deferimur.* Ita naſci Chriſtianum, eſt mori mundo, & voluptatibus. Tota Chriſtiani vita perpetua mors eſt; Jeſu Chriſti ſepulcrum illius eſſe debet, domicilium, & corpus illud laniatum eſſe debet exemplar, ſecundum quod corpus ſuum debet redigere. Denique admonet, omnes illud jus, quod ad Salvatoris habet hæreditatem, proficiſci ex ea parte, quam in paſſione ejuſdem habebit. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ad Rom. 8. *Sermo Manuſcriptus.*

Qui mortificationem fugiunt inimici ſunt crucis Jeſu Chriſti.

S. Paulus Apoſtolus, qui nihil exaggerat; ait inter ipſos etiam Chriſtianos non deeſſe, qui inimici ſunt crucis Chriſti, &c. *Nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Chriſti, &c.* At quinam, amabo vos, hi ſunt, niſi qui vitæ hujus bona, & voluptates tantummodo inquirunt; quandoquidem crux iſta non eſt cum vita deliciis affluenti, ſed plena auſteritatis, laboris, & mortificationis, conjuncta? Igitur ſtatuendum eſt, illos eſſe crucis Jeſu Chriſti inimicos, qui ea diligunt, quæ ſunt cruci Jeſu Chriſti oppoſita. Quantumvis te fidelem eſſe jactites, ac fronti adorabile hoc imprimas ſignum, ſemper verum erit Sancti Pauli verbum: Qui non habet ſpiritum Jeſu Chriſti, ad illum non pertinet, & niſi pertinet ad illum inimicus eſt crucis illius. Qui ſe Jeſu Chriſti eſſe dicit, crucem ſuam poſt illum ferre debet: quicumque delicias conſectantur, oppoſiti ſunt Jeſu Chriſto, illius ſunt inimici; & quin ſeipſos crucifigant, iterum Salvatorem ſecum crucifigunt. *Liber cui titulus*: Inſtructions Chretiennes &c. *in vigeſimam tertiam poſt Pentecoſten Dominicam.*

Immortificatorum ſtatus deplorandus.

Immortificati lacrymis proſequendi ſunt, non ſecus ac illos Sanctus Paulus deplorat: & quo minus illi ſeipſos deplorant, eo magis ſunt deplorandi. Nos alios ſane, ac illi, habemus oculos. Nihil legi Chriſti Jeſu adeo oppoſitum eſt, quam mundo, voluptatibus, ac vitæ ipſi inhærere. Crux eſt jure veri Chriſtiani objectum; cum a nullo crucifigitur, crucifigit ſeipſum, ac ſeipſum affligit, cum a nemine affligitur. Crux ſemper fuit veluti anima chriſtianiſmi, & ejus adſpectus cum virtute ejuſdem conjunctus in iis, qui veri illius extitere diſcipuli, deliciarum vitæ hujus amorem evertit. *Idem.*

Mortificatio neceſſaria eſt, ne in ſcelus ruamus.

Cum naſcimur, omnes ſumus peccatores, & dies, quæ nobis lucem oſtendit, efficit, ut in oculis Dei videamur vel uti nocentes, & infelicia iræ, & ultionis ejus objecta: ita ut quamvis omnia vitæ noſtræ momenta impenderemus tantæ huic deflendæ calamitati, divinæ juſtitiæ ſatisfacturi, tunc nihil præter ea, quæ debemus, a nobis præſtitum credere deberemus. Sed profunda hæc vulnera, quæ nobis peccatum inflixit, quamvis Jeſu Chriſti ſanguine curata fuiſſe videantur, nobis tamen adhuc funeſta ſunt, eorum cicatrices adhuc manant cruore, fontes ſemper patentes ſunt corruptionis, atque peccati; & niſi Deus omnipotens manu ſua eorum curſum inhibeat, nobis in ſingula momenta afferre poſſunt interitum. Prudentia igitur prorſus divina generoſos hos ſenſus inſpirat, non ſolum nobis omni niſu contendendum eſſe, omneſque, corporis, animæque vires eſſe intendendas, ut hæc pericula evitemus; verum etiam, cum, ex S. Auguſtini ſententia, in naturæ noſtræ corruptione adeo vehementes in malum impulſus, & naturalia ſtudia habeamus, in anteceſſum quodammodo offerendas eſſe ſatisfactiones, & ſacrificia pro peccatis omnibus, in quæ procul dubio laberemur, ſi noſtris tantum viribus a Deo traderemur. Ita quænam Deo ſacrificia debent mortalium juſtiſſimi pro iis peccatis, quæ committere poterant, & quæ ex mera Dei miſericordia non commiſerunt? *Abbas Verjus in Sermone habito cum Monialis quædam Religionis veſte indueretur.*

Quo uſque Sanctorum chriſtiana mortificatio proceſſerit.

Ab ipſa Eccleſiæ inſtitutione non deſerunt animæ magnæ, quæ chriſtianæ vitæ perfectionem longius protulerunt. Se chriſtianorum nomine indignos cenſuerunt, quantum fieri potuit, ſeveriſſima inſtituta amplexi ſunt, & Dei crucifixi terribiliſſima exempla ſecuti. In horrentia ſeceſſerunt deſerto, procul a mundo exules, poſtquam ex cordibus ſuis mundum ejecerant. Ultro ſubierunt martyrium nihilominus grave, & multo diuturnius, quam quod a perſecutoribus; & carnificibus paſſi fuiſſent. Inſignia portenta ſunt in Eccleſiæ faſtis intueri voluntaria eorum pœnitentium martyria, qui primis Chriſtianæ reipublicæ ſæculis floruerunt, incredibilia jejunia, auſteritates, quæ a mortalibus non ferendæ videntur, mortificationes, & pœne dixerim, crudelitates incomprenſibiles in ſeipſos frequentiſſima fuerunt eorum exercitia; atque cum hac angelica innocentia, omniumque virtutum exercitatione aſſidua pro ſuis criminibus ſuſpiria effundebant, coram Deo ſe proſternebant tamquam indignos miſericordia, atque profitebantur, ſe non ſatis teſtari poſſe terrorem, quem judiciorum Dei ſeveritas ipſis incutiebat. *Idem.*

Fruſtra ſæculi divites a chriſtiana mortificatione diſpenſare contendunt.

Numquid potentia, fortuna, divitiæ a chriſtianæ religionis mortificationibus diſpenſant? Serio aliquis ne cogitare poteſt in divitum, & nobilium gratiam exceptionem hanc ſtatuiſſe Deum, qui palam profitetur ſaluti eorum omnia eſſe metuenda? Divitiarum acquiſitio injuſtitiarum eſt occaſio, divitiarum poſſeſſio fons eſt ſuperbiæ, divitiarum uſus ſemen eſt vitiorum in moribus, ac vitæ flagitioſæ principium. In mundi proſperitate omnia tentatio, omnia periculum ſunt. Auctoritas crimini perſonam appingit, magnificentia illud allicit; aſſentatio illud palpat, affluentia nutrit; & in hac voluptatum regione ſperari poteſt jugis pœnitentiæ, & mortificationis exercitatio? Secundum evangelii ſpiritum Chriſtianus quo ditior eſt, eo debet eſſe mortificatior, hoc eſt, quo magis opibus, deliciiſque diffluit, eo magis vitæ hujus commoda, & oblectamenta ſibi interdicere debet. Pauperi tot ſacrificia facienda non ſunt: dives eſſe non poteſt alia conditione Jeſu Chriſti diſcipulus: hæc morum diſciplina pluribuſne placet? Sed ideo ne, quia minus placet, minus eſt Jeſu Chriſti diſciplina? Omnia hæc abnegationis, mortificationis, crucifixionis effata ita ne ſunt ad ſalutem neceſſaria, ut pro pauperibus tantum ſint, qui omnibus hiſce ſuperfluis bonis carent? Divites vero, ad quos hæc oracula pertinent, putantne hunc fidei articulum eſſe, cum interim nullos cupiditatibus ſuis cancellos conſtituant; cum numquam ſatis cupediarum, & deliciarum in ſuis conviviis inveniant, numquam ſatis vel magnificentiæ in ſupellectili, vel faſtus in ſervorum caterva, vel ſumptus in luxu? Diceres millitiem, ſumptum, otium, crapulam eo magis creſcere debere, quo creſcunt opes; ſaltem verum eſt, illis non aliam eſſe menſuram, vel normam. *P. Croiſet tomo ſecundo ſpiritualium Conſiderationum.*

Mortificatio rebus in omnibus poteſt exerceri.

Dei filius ſatis mortificationis neceſſitatem nobis oſtendit, cum ait Matth. 10. *Non veni mittere pacem, ſed gladium, veni ſeparare &c.* Quod non intelligendum eſt tantum de criminibus, & vitiis, quæ per ſe inferunt mortem; ſed de omnibus nugis, vanitatibus, ſolatiis, deliciis, ſtudiiſque hujus mundi, quæ animas noſtra fallunt, captivant, ſubjiciunt, atque efficiunt, ut Dei detrectantes imperium creaturis adhæreant. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in S. Matthæum.*

Sine corporis mortificatione nemo ſpiritualis perfectuſque eſſe poteſt.

Difficile eſt vere ſpiritualem fieri, & ad chriſtianam perfectionem contendere, niſi amas pœnitentiam, atque mortificationem. Hic amor in omnibus fere ſanctis invenitur; quod indicium eſt, illum a Dei ſpiritu proficiſci. Ne unum quidem fortaſſe ſanctum invenies, quæ ſibi crudelis non fuerit: & ratio conſtat, quia ſpiritus ſanctitatis generoſus eſt, atque ſublimis, hominem a vita molli removens, eumque ſupra naturalem ipſius mollitiem attollens. Porro cum innocentia, & puritas nonniſi per viam ſpiritus poſſint acquiri, & ſpiritus, atque corpus contrarias habeant affectiones, ut ſpiritus dominetur, opus eſt bellum corpori indicat, atque illud ſubjiciant. Itaque anima generoſa, quæ ſincere Deo adhærere vult, redigere debet corpus ſuum ad quodlibet auſteritatis genus perferendum, quod tamen prudentiæ fines non excedat, quod valetudini non officiat, & quod non infirmet vites, quæ neceſſariæ ſunt, ut ſerviat Deo ſecundum illius ſtatus officia, ad quem eſt evocatus. *P. Surin in Dialogis ſpiritualibus cap. 3.*

Bona, quibus ſe privat, qui corporea fugit mortificationes.

Corporis pœna inexhauſtus eſt fons gratiarum, ut ſpiritus attollatur ad Deum, ut hujus amore inflammetur, ut in Dei neceſſitudine creſcat. At ſæpe homo omnibus his bonis ſe privat; quia nimis breves cancellos corporalium auſteritatum exercitationi conſtituit. Vix credi poteſt quantum placeat Deo videre carnem ſpiritui ſubmiſſam, atque parentem. Fortitudo, quam hac in re oſtendimus, ex manibus ejus veluti vi facta avellit, quidquid ab eo nitimur obtinere, & ſeveritas, quam in noſmet exercemus præter remunerationem in beata vita expectandam, in hac quoque vita cœleſtes conſolationes meretur uberrime. Sancta Thereſia ſcribit, inſignem ſanctitate virum, qui corpori ſuo aſſiduum bellum indixerat, poſt mortem ſibi magna fulgentem in gloria apparuiſſe, atque dixiſſe: *Felix pœnitentia, quæ mihi tantam promeruit gloriam. Idem.*

Animæ ſanctæ libenter mortificationem amplectuntur.

Sanctæ animæ, & Dei amore ſuccenſæ in pœnitentia veluti in ſuo vivunt elemento. Illam ſibi in partem elegerunt, eique conſtanter adhærent, tamquam unice neceſſariæ ad amorem Dei, fervoremque tuendum. Hic ſatis frequens abuſus eſt iis, qui aſceticam ducunt vitam, nimis cito mortificationis exercitationem abrumpere. Verum eſt, Deum non ſemper, neque ab omni perſonarum genere illam exquirere, ſed Deo acceptior eſſet, qui majorem ſibi vim vellet inferre. *Idem.*

Scit

Deus nobis mortificatione immittit ut noſtri periculum faciat.

Scit Deus nobis mortificationes immittere, ut noſtri periculum faciat, ubi neceſſariæ ſunt, quin ſæpe opus ſit, ut aliunde illas accerſere debeamus. Quæ inde procedunt toto cœlo magis utiles ſunt, quam quæ eliguntur a nobis; ubique enim amor proprius invenitur. Itaque non errandi via eſt iis uti occaſionibus, quas nobis obtrudit Providentia, & pro certo habere, tunc potiſſimum cum a nobis Deus læſus fuit, nihil utilius accidere poſſe, quam ſi ille nobis præbeat locum juſtitiæ ſuæ ſatisfaciendi, & præterita flagitia rebus adverſis, noſtræque oppoſitis voluntati expiandi. *Abbas Trappenſis tomo* I. *Effatorum Chriſtianorum.*

SUPPLEMENTUM.

Duo ſunt mortificationis genera; interior altera, altera exterior; prior neceſſaria eſt & certum pietatis indicium, poſterior non eſt adeo neceſſaria, & una cum hypocriſi invenitur.

DUO ſunt mortificationum genera, altera exterior eſt in corporis maceratione dumtaxat poſita; altera interior, quæ proprie eſt ſpiritus, & cordis mortificatio. Illa libidinem domat, hæc animi cupiditates. Utraque neceſſaria eſt ad perfectionem, imo etiam ad ſalutem obtinendam. Jejunia, vigiliæ, cilicia, aliæque id genus corporis mortificationes valida ſunt adjumenta, ut vere ſpirituales evadamus. Verum eſt ſanctitatem nequaquam conſiſtere in exterioribus pœnis, & has ſimul cum hypocriſi poſſe inveniri; at non ita ſentiendum eſt de interiori mortificatione, quæ ſemper eſt pietatis indicium; & quæ multo magis neceſſaria eſt quam, ut aliquis ſe ab illa jure poſſit diſpenſare. Hanc vim jugiter nobiſmet facere debemus ad regnum Cælorum acquirendum. Non omnes jejunare poſſunt, non omnes in ſe ciliciis ſævire, ſed nemo eſt, qui nequeat mortificare ſua deſideria, ſuum ingenium, ſuam cupiditates, ſuas naturam, ſuas affectiones. Fruſtra nobiſmet blandimur, quaſi a nobis Jeſus Chriſtus diligeretur, niſi nobiſmet mortificandis operam damus. Conſtans, & generoſa nobis amplectenda eſt mortificatio, ſi cupimus infirmare, & deſtruere amorem hunc proprium, quo cupiditates omnes aluntur. Tandem conſilium capiendum eſt crucis deferendæ; noſtra ſalus, vitæ ſecuritas; illi adnexa eſt, inquit auctor de Imitatione Jeſu Chriſti. Fruſtra extra Crucem quæritur ſalus animæ, & iter gloriæ. Sumite igitur Crucem, ſequimini Dei Filium, & certiſſime vitam æternam conſequemini. *Pater Croiſet in Aſceticis Exercitiis.*

Sibi vim faceve opus eſt ob Cælum acquirendum.

Cœlum vi rapitur: Abrenuntiare mortificationi, & pœnitentiæ idem eſt ac abrenuntiare Cœlo. Abrenunciandum eſt mundo, & voluptatibus ejus; Crux illius eſt ferenda, affectus vincendi ſunt, cupiditatibus eſt reſiſtendum, amor proprius ſubigendus eſt; inimici diligendi ſunt, noſque metipſos odio habere, & perſequi oportet. Hoc rectum eſt iter Evangelicum; hoc iter illud eſt ſpinis conſitum, quod in Cælum adducit, & per quod incedendum eſt, ſi illuc cupimus pervenire. Alia quælibet via, alia quævis ſemita aberrat. Hanc ſequimur? an prorſus oppoſitam tenemus; Sed quinam illius terminus futurus eſt? Neceſſario per hanc viam incedendum eſt. Sumus peccatores, pœnitentia nobis agenda eſt. Sumus Chriſtiani, Deus nobis imitandus eſt. Creati ſumus Cælo, quocumque pretio illuc nobis eſt perveniendum. Nonne rationes iſtæ ad alios pertinere videntur, ad nos autem nequaquam? Saltem verum eſt hodierna die ita agi, ita cogitari, quaſi magnæ hujuſmodi veritates nimiam redolerent antiquitatem, & jam eſſent antiquatæ. Hæc pœnitentia, quam nemo mortalium evitare poteſt: hæc pœnitentia, quam ne juſti quidem poſſunt effugere, numquid hodie virtus eſt Chriſtianis omnibus familiariſſima? *Idem.*

Neceſſitas, & praxis mortificationis interioris.

Interioris mortificationis exercitatio quoddam eſt pœnitentiæ genus, a quo nemini fas eſt ſecum diſpenſare. Hæc ſanctis omnibus communis fuit, & cognita illis, qui verum habent perfectionis obtinendæ deſiderium. Satis eſt ſeſe ſpiritui Dei attentos præbere; Dei amor in hac re adeo pollet induſtria, ut, ſeſe mortificandi artes, & adminicula, quæ primo ſtatim incurſu craſſioribus etiam inſpirat hominibus, ſuperent ſapientiorum ingenium, & in hoc genere tamquam parva miracula videantur. Nihil eſt, quod illis non miniſtret occaſionem obſiſtendi cupiditatibus ſuis, nullum eſt tempus, locuſque nullus, qui illis aptus non videatur ad ſeſe mortificandos, quin unquam ne latum quidem unguem a vero, bonoque ſenſu recedant. Exempli gratia, ſatis eſt, eos habere magnam loquendi, aut videndi pruriginem, ut ſibi ſilentium indicant, & oculos obſtruant. Deſiderium res novas audiendi, vel ſciendi, quæ fiunt, quæque vulgo narrantur; deſiderium perſonam videndi, narrandi factum, cognoſcendi negotii alicujus eventum; verbo, omnis ſollicita feſtinatio argumentum eſt mortificationis, quæ eo magis meritoria eſt, quo frequentior, & quod illius Deus unus teſtis deeſſe poteſt. *Pater Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Frequentes mortificationis exercendæ occaſiones.

Nihil uberius eſt, quam frequentes interioris mortificationis occaſiones. Enarratio aliqua mirum in modum inſtruet. Verbum opportune prolatum, urbanus jocus, irriſio quædam ſatyrico ſale condita in virorum corona laudem mereri poteſt, ſed præclari etiam ſacrificii materia poteſt eſſe. Nulla fere eſt hora diei, qua non ſeſe nobis offerat mortificationis argumentum. Sedenti, vel ſtanti numquam decrit locus, vel corporis ſitus parum commodus, quin id extrinſecus pateat. Si ſeriæ intentus occupationi, interpellatus centies, centies ſumma cum ſuavitate, & urbanitate reſponderis, perinde ac ſi nulli rei vacares, non exiguum mortificationis meritum auris. Pravum illius, cum quo verſatis ingenium, domeſtici alicujus vitia, hominis, de quo optime eſt meritus, ingratitudo poſſunt viri virtute prædici multum exercere patientiam. Denique incommoda propria loci, temporis, & perſonarum, quæ perferuntur eo modo, quaſi ne cognoſcerentur quidem, exiguæ ſunt ſeſe mortificandi occaſiones; ſed in exiguis hiſce occaſionibus exigua non eſt; magni eſt meriti, & dicere poſſumus majores gratias levium hujuſmodi mortificationum fructum eſſe. Non levis eſt mortificatio, nulla in re a communitatis officiis ſe diſpenſare, ſeſe in ſingulis communi vitæ conformem præbere, quin ulla habeatur ratio affectuum, munerum, ætatis. Hic fons eſt uberrimus gratiarum omnium, atque, ut ita dicam, ſanctitatis. *Idem.*

Juxta Sanctorum exempla noſmet mortificare debemus Cœlum lucratur.

De hoc, lectiſſimi auditores, cogitamuſne? Joannes Baptiſta in matris ſinu Sanctificatus ſecedit in deſertum, ubi locuſtis, & agreſti melle paſcitur. Paulus uſque ad tertium cœlum raptus caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit; & generatim omnes qui ſunt Jeſu Chriſti, carnem ſuam crucifigunt cum concupiſcentiis; ſi Sancti ita in viridi faciunt, quid in arido facient peccatores? Meminerimus nos in peccato natos eſſe, nos terræ adhæreſcere, nos cum ſimus fratres Jeſu Chriſti per adoptionem, quotidie illius fieri inimicos per improbitatem; & ſi ad literam non jubemur ad adeo ſublimem perfectionis gradum contendere, ſaltem non putemus nos per vitæ hujus delicias, & ſuavitatem obtinere poſſe regnum, quod non niſi vi capitur, & expugnatur. *Abbas Anſelmus.*

Monita quædam ad auſteritatem, & mortificationem pertinentia.

Quod pertinet ad auſteritates, habenda ratio eſt ſingulorum ætati, illecebris, neceſſitatibus, temperamento. Sæpe ſimplex mortificatio, quæ in jugi fidelitate, in providentiæ crucibus ſita eſt, excedit magnas auctoritates, quæ vitam magis ſingularem efficiunt, & tentant, ut tibi complaceas. Quicumque nihil in Dei ordine renuit, nihilque extra hunc ordinem requirit, nulli finem imponit diei, quin particeps fuerit Crucis Dominicæ. Non deeſt in crucibus neceſſaria providentia non ſecus ac in iis, quæ pertinent ad victum: Hic panis eſt quotidianus; has numquam deeſſe nobis patitur Deus; nonnumquam etiam hæc puriſſima eſt ferventibus animabus mortificatio, non mortificare ſemetipſum more ſuo, ſed ſinere, ſe ab aliis mortificari ſecundum Dei voluntatem. Cum fideles non ſumus iis in mortificationibus, quas nobis immittit providentia, metuendum eſt, ut illudamur illis etiam, quas per fervorem conquirimus. Fervor hic ſæpe fallax eſt; & operæ pretium eſt, incipere periculum faciendo hujus fidelitatis, quæ in quotidianis crucibus, & quas providentia diſponit, adhibetur. Cum aliquis æque paratus eſt requirendis auſteritatibus, & non requirendis, licet vel ſinere, ut ſe ipſum mortificet, vel eum cohibere, vel etiam excitare, prout opus illi eſt, ut ſibi caveat; verum ſemper habita ratione corporis, & ſpiritus ejus; dixi ſpiritus, quia ſpiritus aliquando guſtat pacem ſuavem, & quoddam in virtute gaudium, quod perturbare non prodeſt agendi ratione, quæ duriuſcula ſit, & aſperior. Gaudium hoc in libertate relinquendum eſt; coactio, & vis non ingrediuntur in regnum Cœlorum, ubi non niſi pax eſt, amor, & lætitia. *De Fenelon Cameracenſis Archiepiſcopus in Aſceticis.*

Sanctorum Conſuetudo fuit corpus ſuum tamquã domeſticum habere inimicum.

Sancti ſemper maxima pollent induſtria in corporibus ſuis affligendis; & efficiunt, ut recentibus pœni redimant exiguum illud ſolatium, quod illi concedunt. Cum non alia ipſis mens ſit, quam ſenſim illud atterendi, id faciendi modos excogitant, ne rei fiat illius carnifices facti. In ſingula momenta cupiunt mortem, quin hanc ſibi audeant procurare; & ſi liceret ipſi vitam efficere breviorem pœnitentiæ rigoribus, in longe majores, quam S. Paulus, querelas erumperent, qui dolebat videns ſe corruptibili carne circumdatum, quam optaſſet in fruſta dilabi, ut animæ ſuæ viam faceret, qua illa de carcere egrederetur. Hoc ſemper fuit Sanctorum deſiderium; nihil illis minus ferendum erat, quam corpus ſuum: Hoc tamquam pernicioſiſſimum hoſtem habebant, & infidelem famulum, in quem inclementer ſæviebant. Ipſum catenis, ferreiſque zonis obruebant; jugi labore fatigabant; humi ſterni jubebant, modico pane, & aqua reficiebant, quæ etiam mereri debebat diei totius abſtinentia, & itinerum longinquitate, quæ de induſtria ſuſcipiebant, ſæpe etiam inter vepres, ac ſpinas, ut magis magiſque domeſticus hic inimicus vapularet. *Auctor recens.*

Sciebant enim hunc malorum omnium eſſe fontem.

Sancti oderunt corpus ſuum, quia omnium malorum ſuorum fontem. Sciunt nequiora flagitia ex hac parte corrupta proficiſci, & animam, niſi carne præpediretur, ab omni ſcelere immunem futuram. Si corpori ſuo parum alimoniæ tribuunt, breviorem illi etiam requiem permittunt. Eorum vigiliæ æque admirabiles ſunt, ac jejunia; cumque hæc duo in pœnitente ſeparari nequeant, æque in omnibus Sanctis ſunt admirationi. Somnum reſpiciebant tamquam mortis imaginem, & veluti ſervitutem in qua anima vincta eſt, omneſque illius facultates ineptæ ad conandum aliquid quod in Dei gloriam, vel proximi cedat utilitatem. Aſſuefaciebant corpus hoc ad moleſtam hanc neceſſitatem vincendam, vel ſi per indulgentiam quæ naturæ denegari non poteſt, aliquod quietis momentum carpebant, id tanta præcautione uſi præſtabant, ut eorum ratio nequaquam denſis noctis tenebris involveretur, donec corpus reficiebatur a laboribus, quibus interdiu fuerat occupatus. *Idem.*

Noſmet morti præparare debemus jugi mortificatione, quæ eſt mors præcox.

Mortificatio, proprie loquendo mors eſt voluntaria, mors eſt hominis viventis, mors ante mortem. Ideoque mortificatio veſtra in anteceſſum efficere debet in anima veſtra, quod mors aliquando per neceſſitatem efficiet in corpore veſtro. Mors vobis eripiet ſenſuum omnium uſum; facite, ut illi in anteceſſum moriantur, auferendo quidquid Deo poteſt diſplicere in verbis veſtris, in obrutibus, in uſu ſenſibilium omnium voluptatum. Mors omnia vobis terræ bona ſurripiet; eorum affectum abjicite, eorum jactura vobis dolorem non cieat; ne illorum poſſeſſione oblectemini. Qui libenter terrenis abſtinent, haud ægre vita cedunt; qui vero illorum immodico tenentur deſiderio, horribilem datiuntur vim, cum mors eadem avellit. Separabit vos mors a veſtris conſanguineis, & neceſſariis, qui vos ad ſepulchrum uſque deducent; ſed ubi vos extulerint, non amplius veſtri recordabuntur. Quamprimum ergo abjicite omnem carnalem benevolentiam erga veſtros cognatos, eamque in amorem mere ſpiritualem convertite. Ita fidenter expectare poteritis momentum illud fatale ſeparationis veſtræ a mundo, quæ tantum cient horrorem illis omnibus, qui in flagitiis ſuam vitam traducunt. *P. Novet in Meditationibus.*

Mortificatio proprie loquendo eſt inſtrumentum ipſorum ſacrificium.

Sacrificium actus eſt Religionis, quo creatura fatetur ſupremum Dominium, quod Deus habet in illam, & abſolutam poteſtatem, quam habet eamdem in nihilum redigendi, non ſecus ac in victimam, quæ eidem immolatur. In lege veteri ſacrificia erant exteriora, & craſſa: in lege nova ſunt interiora, & ſpiritualia. Deus nobis conferre volens medium offerendi illi juge, perfectumque ſacrificium in quolibet noſtrum duas poſuit infeſtas facultates, & ut ita dicam duos homines contrarios in homine; hominem peccati, & hominem gratiæ, hominem ſecundum carnem, & hominem ſecundum ſpiritum, hominem egreſſum ex maſſa corrupta primi Adæ, & hominem deſumptum ex fonte purificato Jeſu Chriſti, ut alter per alterum immolaretur, ut homo quodammodo ſubſiſteret ſe ipſum deſtruendo, & ut ex duabus hiſce facultatibus altera fieret ſacrificii materia; altera vero actus ejuſdem produceret. Hinc mundi Salvator dicit in Evangelio, ſe non veniſſe ad afferendam pacem, ſed gladium; ut noſtrum quilibet ſe ipſum immolare poſſet ferro mortificationis, & in partem accedere magni hujus ſacrificii, quod Dei Filius obtulit Patri ſuo in Cruce, ubi poſtquam mortificavit hominem peccati, toto vitæ ſuæ patientis, laboribuſque cumulatiſſimæ ſpatio, fecit, ut in Cruce expiraret, & ſibimetipſi, ut ita dicam, obſtrinxit. *Abbas du Jarry.*

Amor proprius qui efficit, ut cupiamus illa omnia, quæ nobis prohibet Deus, oppoſitus eſt mortificationi.

Amor proprius eſt pars hæreditatis, quam primi Parentes nobis legarunt; animi affectio eſt, qua impellimur ad ea amanda, quæ a nobis amari Deus vetat; pondus eſt, quod cor noſtrum ad terrena, & corruptibilia trahit. Vinculum eſt, quod noſtras affectiones creaturis adnectit; morbus eſt, qui ciet in nobis extremam famem, & ſitim vanitatum, ac pomparum mundi, efficitque, ut eas magna cum voluptate guſtemus. Hoc illud eſt, quod a S. Paulo vocatur catena peccati, quæ jugem alit in nobis rebellionem adverſus ſpiritum; hæc juxta eumdem Apoſtolum eſt peccati lex, quæ ſemper eſt oppoſita legi Dei, & quæ dæmonis ſervos nos facit, ſi illi obedierimus. Per ignorantiam peccamus noſmetipſos decipientes, & ſumentes malum pro bono; per concupiſcentiam peccamus, & magis, magiſque animam noſtram corrumpimus. Quis autem ſatis concipere poteſt quænam mala ignorantia, & cupiditas in mente, & corde peccatoris efficiant; altera quippe menti affert cæcitatem, altera vero cor ipſum corrumpit. Quid hæ duæ malæ radices producere poſſunt niſi fructus mortis? Qui vero hujuſmodi fructus guſtare poteſt, quin veneno inficiatur. Sed tunc ſenſuum mortificatio ubi eſt? *De Sancta Martha in Tomo* I. *tractatuum Aſceticorum. Capite ſecundo.*

Amoris propri artes.

Occurrunt immortificati homines in iis etiam mortificationis præceptis, quæ tradunt aliis, cum interim ſua tantum commoda perquirant. Difficile eſt conjicere, quo uſque procedat amoris proprii verſutia in devoto imperfecto, qui hominis virtute præditi famam ſuſtinere vult. Quod ſtudium ad ea callide ſemovenda quæ in ſtatu ſuo accidunt permoleſta! Quæ ars, ut in omnibus propriam ſuam perficiat voluptatem! Quæ calliditas, ut fines ſuos conſequatur. Quæ curæ diſſimulatæ, quæ vix ſentiuntur, ut omnia ſua commoda obtineat! Abundantia, & deliciæ in ipſa etiam paupertate inveniuntur. Singula verſute pertractans myſteriis ſuis ſemper ſibi reverentiam conciliat: & quod mirum magis eſt, jugiter cauſas prætexit, ad ipſos etiam defectus commendandos. *P. Croiſ. in ſpiritualibus conſiderationib.*

Quid ſit amor proprius, & propria utilitas noſtra.

Amor proprius eſt affectio quædam, qua inordinate levia etiam commoda noſtra perquirimus, quin ullam Dei rationem habeamus. Quo in ſenſu deſumptus Amor proprius non idem eſt, ac magna illa radix omnium malorum noſtrorum, qua nobiſmetipſis inhæremus, & quæ amori quem Deo debemus adverſatur. Sed hic idem amor quibuſdam particularibus objectis applicitus nos efficit noſtris commodis intentos, & oſores mortificationis in rebus minimis, quæ ad communem vitæ uſum pertinent. Occurrunt aliquando mortales quidam adeo ſuorum commodorum amatores, ut quantumvis parum attingas quod ad ipſos pertinet, in iras exardent: ſtatim illorum ægritudo excitatur, adeo ſunt occupati ſemetipſis, quaſi nihil in mundo illis eſſet antiquius, quam commoda ſua. *P. Surin Tomo* I. *Dialogorum Aſceticorum.*

Vita ſecundum carnis deſideria triplici morte punitur.

Vivere ſecundum carnem eſt, nil aliud cordi habere, quam corpori ſuo blandiri, illud palpare, & inordinatis ejuſdem cupiditatibus obſequi, Mala autem, quæ ita viventibus minitatur Deus, ſunt mors animæ, mors corporis, & mors æterna. Anima hominis carnalis primum morte percutitur, & hoc primum mortis genus omnino, & ſecundum omnes circumſtantias inſeparabilis eſt a gravi peccato, quod patramus. Corporis mortem mors animæ ſequitur non ſecus ac effectus cauſam. Sententia hujus prolata fuit contra primum hominem; quam niſi ſtatim in arena voluit Deus adimpleri, hæc mera fuit gratia, ſicuti alia gratia eſt cum Deus peccatorem peccato ſuo ſuperſtitem patitur. Quemadmodum peccatum generatim eſt mortis noſtræ cauſa, quocumque tempore accidat; ita hominum impudicorum turpia crimina, eſt præcipitis mortis eorum cauſa. Corruptio non ſolum eſt in anima eorum; corpus quoque ſuam habet, qua atteritur, conficitur, & brevi ad tumuli putredinem redigitur. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Rom. 8. Celeri huic morti Chriſtiani voluptatibus, flagitiiſque omnibus dediti ſuccedit damnatio, quæ eſt mors æterna. Omnia hæc mala ab Eccleſiaſtico nobis protenduntur: qui ſe tradiderit impudicitiæ, corrumpetur. Ecce mors animæ, quæ homini carnali intentatur. Habebit pro hæreditate putredinem & vermes: ecce mors præceps, in quam ſuæ illum pertrahunt, iniquitates. Anima illius expungetur de numero viventium: Ecce illius damnatio, quæ eſt mors æterna. Licet tria hæc mortis genera ſucceſſive tantum acciderent, nonne illis trepidandi eſſet cauſa? Sed heu! Quot peccatores eodem tempore eodemque in loco libidinum ſuarum amiſerunt vitam animæ, vitam corporis, & vitam æternam? Utinam finis eorum ſit vobis lectio ſalutaris! *P. Segneri.*

Mortificatio deſideriorum carnis triplici vita reparatur.

Qui per ſpiritum mortificat opera carnis, triplici vita vivet. Primum quidem vita temporali. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Eccli. 37. Secundo Chriſtianus mortificatus vivet vita gratiæ; ſenſuum enim mortificatio nobis obtinet gratiam, eamque tuetur. Vivet tertio Chriſtianus mortificatus, vita gloriæ. Hanc mortificatis Jeſus Chriſtus ſpopondit, eiſque guſtandas præbet vitæ hujus delitias iis conſolationibus, quas omnes ſæculi voluptates exæquare non poſſunt. Quantæ igitur utilitatis eſt carnem mortificare? hoc eſt vere ſeipſum amare. Rei hujus applica-

applicatio facilis eſt, ſi times mortificare carnem tuam, illi mortem infers, neque temporalem tantum, ſed etiam æternam; e contra vero ſi carnem tuam mortificaveris, æterna vita vives. Num adeo eris inſipiens, adeo tibi inimicus, ut mortem tuam vitæ anteponas? *Idem*.

S. Paulus poſtquam tot labores pro Deo ſuſtinuit, timet, ut reprobus fiat niſi corpus ſuum caſtigaverit.

Hæc S. Pauli verba terrorem nobis incutere debent. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Timet Apoſtolus, ut reprobetur, ſi carnem ſuam negligat caſtigare; ubi S. Auguſtinus exclamat: *Quid faciet Agnus, ubi aries timet, & tremit?* Numquid certus es, tuam in ſenſibus mortificandis negligentiam minime futuram cauſam tuæ reprobationis? Leviſſima de re hac dubitatio, te inquietum debet efficere, ſi enim de re maximi momenti agitur, de rebus omnibus agitur tibi. *Ne forte reprobus efficiar.* Heu! Quid tibi prodeſt, ſi mundum univerſum lucreris; animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Num putas, eo quod plures animas inſtitutis, præceptiſque tuis in Cœlum induxiſti; infernum ex hinc non poſſe fieri æternam habitationem tuam? Si hoc eſſet, S. Paulus nequaquam dixiſſet, ſe poſtquam aliis viam ſalutis oſtenderit, timere adhuc, ut forte reprobus efficiatur. Quis magno hoc Gentium Apoſtolo plures convertit animas? Tamen non ideo credebat ſalutem ſuam adhuc in tuto verſari. Minimum in re tanti momenti periculum nonne timorem, ac horrorem nobis debet injicere. *Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.* Sed ecce aliquid longe terribilius. Apoſtolus damnari timet, poſt tot labores pro Jeſu Chriſto exantlatos, poſt tot mortificationes, quibus ſuum corpus afflixit; tu vero putas certam fore ſalutem tuam, licet omnes vitæ hujus delicias, & commoda tibi procures? Mollities ergo melius in te ſubjecit carnem ſpiritui, quam tolerantia in Apoſtolo fuerit operata? Melius intellige, quæ dixerit S. Paulus ad eorum confuſionem, qui ſe tutos a peccati inſidiis arbitrantur: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Quod apertius indicium; perfectos ipſos obnoxios eſſe rebellionibus carnis, & rebelliones has uſque ad obitum pati, ideoque ſine jugi mortificatione hominem licet ſanctiſſimum ſibimet polliceri non poſſe ſe curriculum ſuum abſoluturum eſſe, & feliciter de vitæ hujus certaminibus evaſurum; *Sic igitur curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. P. Segneri in Meditationibus.*

1. Cor. 9.

Matth. 16.

Job. 37.

Non ſatis eſt vitia ſua crucifigere, caro etiam illorum fons eſt crucifigenda.

Qui ſunt Chriſti, Paulus ait, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Ubi attende, non ſolum dici, Qui ſunt Chriſti, vitia ſua crucifixerunt, ſed *crucifixerunt carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis.* Namque ad morbum aliquem curandum, illius fons eſt adeundus, & caro eſt radix omnium animæ noſtræ malorum. Sed ut perfecte animæ noſtræ morbis medeamur; caro neceſſario caſtiganda eſt, & in ſervitutem redigenda: *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo,* dicebat Magnus Apoſtolus. Quæ tua in hac re conſuetudo eſt, quomodo corpus tuum caſtigas? Jejunaſne? Vigilas? Quas auſteritates exerces? Si quin carnem tuam domes, & in ſervitutem redigas, illam palpas, eique blandiris, næ tu Jeſu Chriſti non es: *Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis; & concupiſcentiis.*

Galat. 5.
1. Cor. 9.
Galat. 5.

Non ſatis eſt carnem crucifigere niſi vitia quoque illius crucifigas.

Satis non eſt carnem ſuam crucifigere, niſi vitia quoque illius crucifigantur: *Carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis &c.* Videlicet interior mortificatio exteriori accedat oportet. Et ſane hæc exercenda non eſt, niſi quatenus ad illam refertur, & parum prodeſſet caſtigare, & ſubigere corpus, ſi ſpiritus adhuc mancipatus eſſet inconditis motibus cordis. S. Paulus hic duo nos docet in nobis eſſe evertenda interiori mortificatione, videlicet pravos habitus, & affectiones noſtras. *Cum vitiis, & concupiſcentiis.* Pravos habitus, inquam; nam quantumlibet noſmetipſos mortificare conemur, ſemper in aliquod actuale peccatum ruemus; quod vero ſpectat ad habitus peccati, ſi ſtrenue, ac ineſſanter pugnaverimus, tandem illos evertemus. Affectus autem noſtros, numquam omnino deſtruemus; ſed eorum ſaltem imperium deſtruimus; & ſi minus facere poſſumus, ut in cruce moriantur, in noſtra poteſtate eſt illos cruci affixos tenere, quod facere debemus, ſi volumus eſſe Jeſu Chriſti. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Idem.*

Quid nomine mortificationis carnis Apoſtolus intelligat.

Non dicit Apoſtolus: *Si vixeritis ſecundum ſpiritum;* ſed *ſi ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Vivere enim poteſt aliquis ſecundum carnem, & hoc paſſim uſuvenit; ſed nemo mortalium vivit omnino ſecundum ſpiritum: vita hæc tota ſpiritualis in Cœlo tantum invenitur, ubi caro penitus ſubjecta ſpiritui efficit, ut primi rebellionis motus, ne ſentiantur quidem. Ideo S. Paulus commendat, ut reſiſtamus carnis inſultibus, ut illius deſideria coerceamus, ut mortificemus impetum, jugi oppoſitione injuſtis illius ſollicitationibus; ut verbo me expediam; ut eam captivemus ſub ſpiritus imperio, ſtatim ac audet ſe attollere. Apoſtolus non eam carnis exigit mortificationem, quæ in auſteritatibus & corporis maceratione ſita eſt, non omnes æque pares ſunt his adhibendis, quamquam ad carnem humiliandam, ac ſpiritui ſubigendam maxime idoneis. Sed communis mortificatio, a qua nemo Chriſtianorum ſecum poteſt diſpenſare, eſt mortificatio operum carnis, quemadmodum hactenus dictum eſt: *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. P. Segneri Meditationibus.*

Vita perfecta, imo etiam communis Chriſtianorum vita nequit ſine mortificatione ſubſiſtere.

Ecce triplex eſt vitæ genus; unum omnino ſpirituale proprium dumtaxat Angelorum, qui in cœlo ſunt; alterum omnino carnale belluarum commune, & quod homo debet perhorreſcere; tertium, denique quod medium eſſe debet inter utrumque, & quod pendet ab hac mortificatione, quam S. Paulus fidelibus omnibus præſcribit. Hæc mortificatio omnibus imperata, ſufficit quidem ad vitam Chriſtianam ducendam; ſed beatus, qui ad perfectorum mortificationem adſpirat, ut in terris ducat vitam, quantum fieri poteſt ſpiritualem. Conemur cum eodem Apoſtolo: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferre, ut & in vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Idem.*

2. Cor. 4. 10.

Vita immortificata tendit ad mortem æternam.

Mors corporis, mors animæ, mors æterna; ecce quo tendit vita ſenſuum funeſta; ecce quo me deducunt deſideria carnis, ſi illis obſequor; num aliquid eſt terribilius, & formidabilius triplici hac morte? Igitur adeo jucunda, & ſuavis eſt hæc via, quæ me ad tot mortes adducit, ut voluptas, qua ibi fruor, mihi præferenda ſit horribili termino, ad quem deducit? Igitur via hæc mortificationis ſenſuum adeo inſuavis eſt, ut potiuſquam hanc ſequar, mihi abrenuntiandum ſit triplici vitæ, quæ præclara eſt merces illius. Mundus viam crucis, & mortificationis monſtrum aliquod eſſe putat; in hoc oritur quia ejuſdem finem minime conſiderat. Sed in eadem via fallitur, illius ſeveritatem dumtaxat inſpicit, & neſcit ſuavitatem, quam ibi effundit gratia. Si mihi ſatis animi non deeſt, ut ſequar perfectos in via auſteritatum, ſaltem ero in numero eorum, qui veri Chriſtiani ſunt, qui ſibi legem irrogant nihil carni ſuæ permittendi æqua, & honeſta ſolatia, & omnem illi vim faciendi, quæ ad illam ſpiritui ſubjiciendam requiritur. *Idem.*

Difficile eſt in hoc mundo ſuæ ſaluti proſpicere, niſi jugem obiſmet vim inferamus.

Profecto facilene eſt in mundo vivere inter magna fortunæ bona, & in perfuitione voluptatum etiam legitimarum? Vivere inter occaſiones ſentiendi inceſſanter, quidquid illecebrarum, ac ſuavitatis in mundo invenitur, iiſque mentem, ac imaginationem repletam habere quin cor ſe deliniri patiatur, & quin iis adhæreſcat; niſi ſibimetipſi juge bellum indicat, niſi ſemper invigilet cordi ſuo, niſi ſibi extremam vim faciat, & aſſidue ſeſe in ſenſuum mortificatione exerceat? Neceſſaria igitur eſt Chriſtianis omnibus hæc mortificatio, perferendum igitur eſt, ſibique vis inferenda, ut ingrediamur in Cœlum. Neceſſaria igitur eſt viventibus in mundo, non ſecus ac illis qui a mundo receſſerunt; niſi forte putas requiri vallum eo infirmius, quo torrentis impetus eſt vehementior; & eo minus caute incedendum eſſe, ubi magis præceps eſt via; & minus valetudini ſuæ proſpiciendum eſſe, qui ſunt infirmiores, & quotidie verſantur in diſcrimine in periculoſos morbos incidendi. *P. Vaubert.*

Mortificatio ſemper eſt neceſſaria ad ſuperandam naturæ propenſionem qua trahimur in malum.

Concupiſcentia ille eſt inordinatus appetitus, qui poſt peccatum permanſit in homine. Cum domeſtico hoc orti inimico illum poſſumus quidem cum gratiæ ſubſidio infirmare, illum autem omnino deſtruere non poſſumus. Oportet ergo ut ad illum oppugnandum arma ſemper diſtricta habeamus. Nobis ſemper cavendum eſt ab illius verſutia, contra ejus inſidias noctesque dieſque nobis invigilandum eſt. Hoc pondus eſt, quod trahit, Syren, quæ allicit, hæc peccati radix eſt. Modus autem propenſionem hanc cohibendi, illecebris his reſiſtendi, & prohibendi, ne virulenta hæc germinet radix, Apoſtolus ait, eſt ambulate ſecundum Dei ſpiritum; eſt vivere ſecundum legem Evangelii, eſt omnes affectus ſuos mortificare, qui vocari poſſunt filii concupiſcentiæ: *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* Ita utroque hoc viciſſim bellum ſibi inferente, inter duos hoſce inimicos nulla eſſe poteſt pax, induciæ nullæ. Sola igitur ratio obicem aliquem ſtatuendi vaſtitati, quam nobis portendunt, eſt mortificationem amplecti, ut inter tot turbas aliqua poſſimus frui tranquillitate. *P. Croiſet. In Aſceticis Exercitationibus, Tomo 5.*

Quo magis virtute creſcimus, eo attentius vigilare debemus,

Omni tempore omnique in ſtatu mortificatio neceſſaria eſt.

debemus, tunc enim inimicus noſter majori cum pertinacia laceſſit. Si quis me ſequi vult, tollat *quotidie* crucem ſuam, inquit Lucas Evangeliſta. Adeo verum eſt nullum eſſe tempus vitæ, quo Chriſtianæ mortificationi abrenuntiare poſſimus, quin ſalutem manifeſto periculo objiciamus. Ita licet ad altiſſimum perfectionis gradum perveniſſemus, ſi orationis, jejuniique exercitium negligatur, certiſſimum eſt fatalem mortalemque lapſum imminere. Timete igitur Dominum vos, qui illius Sancti eſtis. Vobis res eſt cum inimico ſemper vigilante; & ſi obdormiſcitis, fieri non poteſt, ut minime vincamini. *Abbas de Montmorel Homilia de Circumciſione.*

Luc. 9.

Vita immortificata non alium ſequitur ducem niſi affectus ſuos, non aliam regulam niſi libidinem ſuam.

Conſideremus vitam mollem, atque immortificatam vitam eſſe ignavam, effœminatam, negligentem, voluptuoſam, & quæ vulgo vita voluptatibus dedita nuncupatur; hæccine poteſt eſſe Chriſtiana? Hæc tamen vita eſt pendens a ſenſibus, qui nullum habent ducem niſi cupiditates; nullamque normam niſi libidinem. Vita, quam amor proprius alit, & quæ viciſſim alit amorem proprium, cujus exercitium eſt otium, cujus omnes dies vacui ſunt; hinc conjiciamus quinam illius futurus ſit exitus. Anima per inertiam & negligentiam ſuam in Dei cultu mollis effecta, immenſo infidelitatum, ac relapſuum numero infirmata, non habet amplius niſi languidam fidem, & ſemiextinctam, nulla amplius re afficitur, quam ſua voluptate. Communium pietatis officiorum pertæſa, omniumque fere exercitationum Religionis affecta faſtidio non niſi urbanitatis cauſa ſeſe illis accommodat. Domini jugum illi videtur amarum, & lex ejus onus non ferendum. Nihil illi ſapit præter mundi hujus placita, & mundanæ feſtivitates illius excitant alacritatem, ipſaque non movetur, niſi ut ſibi voluptates procuret; præterea in miſera languet inertia, & in lethargico ſopore conquieſcit. *P. Croiſet Tomo 1. Exercitationum Aſceticarum.*

Chriſtiani omnes ſe reſpicere debent tamquã confixos cruci cum Jeſu Chriſto.

Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Veri Jeſu Chriſti diſcipuli, tantum abeſt quod carnis deſideria ſequantur, & carnis opera faciant, ut imo illam aſſidua mortificatione crucifigant. Vulgatiſſimum eorum ſtudium eſt affectuum impetus coercere, mortificare ſenſus, & concupiſcentiæ motus præfocare. Voluptatis amor virtus animæ eſt. Vita mollis non fuit unquam vita Chriſtiana. Nullus eſt Chriſtianus, qui dicere non debeat: *Chriſto confixus ſum Cruci. P. Croiſet ibidem. Tomo 5.*

Galat. 2.

Chriſtianus immortificatus nullo ſalutis ſuæ deſiderio affici poteſt.

Chriſtianus crucis & mortificationis inimicus, eum non habet conceptum, qui habendus eſſet, divinarum perfectionum, vitia defectuſque ſuos, ac miſeriam ſuam non poteſt cognoſcere. Hic crucis horror & odium nobis perſuadere poteſt, ipſum fere neſcire, quid ſint Evangelii veritates, & Chriſtianæ Religionis. Odit ſuas tribulationes, illas perhorreſcit, illas fugit: nil prætermittit eorum quæ illi ſuavem, tranquillamquæ vitam poſſunt procurare. Hoc in ſtatu poteſtne ille cognoſcere, tribulationes illam eſſe pecuniam, qua Cœlum comparatur; & hoc nemini niſi hoc pretio venumdari? Hoc tamen eſt ex certiſſimis Evangelii inſtitutis. Hoc ille intelligit? Si intelligeret, næ ille quidem per mortificationem, ſanctamque auſteritatem ſuæ ſaluti proſpiceret, neque illum tribulationes hujuſmodi deterrerent. Neque enim fidei conſonum eſt quod aliquis de induſtria ſe ipſum perdendi ineat conſilium. Filius, S. Auguſtinus ait, qui patris ſui hæres eſſe non poteſt, niſi ſemet ſubjiciens illius caſtigationibus, & monitis, numquam contra parentem irritatum rebellat, ſed conſolatur inter flagella ſpe ſuffultus mercedis illius, quam in Patris teſtamento putat ſe recepturum: *Noli attendere quam pœnam habeas in flagello: ſed quem locum in Teſtamento.* Vetus fidelis, Chriſtianus, ut talis habeatur, debet non ſolum æqui, bonique facere cruces, quas illi Deus immittit, tamquam Pater optimus, qui illi præbet modum Regnum ſuum in hæreditatem habendi; verum tenetur etiam ducere vitam mortificatam, & crucifixam ſi vult aliquando poſſeſſionem adire illius hæreditatis, quam Salvator illi per Crucem, & Paſſionem ſuam comparavit. *Pater la Peſſe. Tomo 4.*

D. Aug. in Pſ. 102.

Nemo ſalvus eſſe poteſt quin ad exemplum Jeſu Chriſti vitam ducat mortificatam.

Ullane veritas eſſe poteſt ſolidus probata, quam neceſſitas, qua omnes urgemur, ut in partem accedamus Paſſionum Salvatoris, ſi in partem gloriæ ipſius accedere cupimus? Audiamus ipſum Dei Filium loquentem! Ubique profitetur eos eſſe beatos, qui patiuntur, & qui a perſecutoribus ſuis exagitantur. Cum igitur tanta cura a nobis tribulationes omnes nitimur amovere; cum evitamus quidquid nobis negotium faceſſere poteſt, noſtram evitamus beatitatem. Cur, putatis, Salvatorem noſtrum tot, tantaque fuiſſe paſſum?

Cur ille vitam adeo laboribus plenam duxit? Cur pro benefactis tot maledicta retulit? Cur patienter tot audiit blaſphemias; quas illius miraculis Judæi reponebant? Cur habitus fuit tamquam ſeductor, & mortalium omnium nequiſſimus? Cur ſe in eorum manus conjecit, quos ſibi implacabiles noverat inimicos, & qui ipſum perſecuti fuerunt, quin aliquam illi requiem permitterent? Num voluit ille regulam ſequi, quam unus ipſe decurreret? Voluitne patiens nobis patiendi immunitatem conferre? Docet Sanctus Petrus, Salvatorem tanta paſſum fuiſſe, ut nobis ſuum daret exemplum, ut & ipſi veſtigia illius ſequeremur, atque ut vitam duceremus mortificatam. Quam in nobis obtinuit vim exemplum illius? Quæ nobis cura eſt vitam noſtram ad divinum hunc prototypum componendi? Ipſe humiliari voluit, contemptus fuit, conviciis affectus; mortificationes, & cruces amavit, vitamque duxit auſteriſſimam. Crux ſæviſſima illi nequaquam viſa eſt nimis gravis: miſcere ſimul voluit paſſiones crudeliſſimas, ignominias contumelioſiſſimas, injurias teterrimas, atque atrociſſimas. Hinc compoſitus fuit Calix, quem ille ad fæces uſque, ut ita dicam, voluit exhaurire. Juxta hoc exemplar ad examen vocemus deſideria noſtra, propenſiones, affectus, totam denique vitæ noſtræ rationem. Quid in vita noſtra reperiemus, quod ſit authographo illi conforme? Salvator hic in terris tres, & tringinta exegit annos inter cruciatus, nos vero fugimus auſteritates; nos, quantum in nobis eſt, labores, vel minimos evitamus; mortificatio nobis non ſapit, cura quævis licet minus moleſta nos deterret. Quanam igitur in re ſita eſt ſecuritas, & tranquillitas noſtra, quam tantopere celebramus? Ullusne craſſior fingi poteſt error, quam ſibi perſuadere, poſſe nos ſaluti noſtræ proſpicere, quin ſequamur exemplum Jeſu Chriſti, eamdemque viam decurramus? *Lambert in Anno ſuo Evangelico. Tomo 6.*

Dei Filius nos vitam duxit adeo mortificatam, ut nobis daret exemplum vitam ſuæ ſimilem vivendi.

Omnis Chriſtianus tenetur Jeſũ Chriſtum ſequi ideoque mortificatioñe exercere.

Inſignis eſt error credere ſuimetipſius abrenuntiationem, ſenſuum mortificationem, cæteraſque auſteritates pœnitentiæ ad Religioſum ſtatum pertinere, ubi ad perfectionem contendendum eſt. Non diſcipulis tantum, verum etiam omnibus qui erant in Mundo, Salvator hæc dixit: ſi quis vult venire poſt me, tollat quotidie crucem ſuam, & ſequatur me. Non pauca mortalium multitudo apud Jeſum convenerat varias ob cauſas, hi ut tantum illum audirent, illi, ut admirarentur, alii ut a languoribus ſuis curationem obtinerent. Sed non ideo tamen proprie loquendo non ſequebantur Jeſum Chriſtum, ſed illi tantummodo qui accedebant ut illi adhærerent, eumque ſequebantur. Itaque non dicit, *ſi quis vult venire ad me;* dicit, *ſi quis vult venire poſt me;* quia eſſentia Chriſtiani in hoc ſita eſt, ut ſequatur Legislatorem ſuum, ducem, & caput ſuum ab eodem ſe omnino dirigi permittens. *P. Segneri Meditationibus.*

Ferenda eſt crux, & ſequendus Jeſus Chriſtus ut illum imitemur non aliam ob cauſam.

Contenditis ſequi Jeſum Chriſtum, ſed quare? Num propter temporalia bona, quæ inde vos percepturos eſſe ſperatis? Sequi illum oportet, quia meretur; ſequi propter ipſum, non autem ob fragilem quæſtum; alioquin vos in famulorum ſuorum albo recenſere dedignabitur. Ego quidem, Domine, te ſequi nequeo, niſi & ipſe bajulem crucem meam. Hoc nomen crucis naturam avertit, eique horrorem ciet; ſed memoria repeto, quæ pro me paſſus es, & hæc memoria efficiet, ut impoſterum omnia ſuſtineam mala, quæ ſtatui meo adnectere voluiſti. Non enim alienam crucem ferre debeo, ſed meam. Quotidie illam ferre debeo, & quantumvis illa ſit gravis, opem ferente gratia tua, eam cum alacritate propter amorem tuum geſtare conabor. Sed niſi mihimetipſi abrenuncio, invitus, & ingratiis illam traham. Ut igitur illam bajulem, & quotidie bajulem, ut debeo, mihimet quotidie abrenuntiabo; quotidie, in ſingulas horas in me ipſum pugnabo, me ipſum, ut ita dicam, Chriſtiana mortificatione deſtruam. *P. Segneri in Meditationibus.*

Chriſtiana vita ſtadium eſt, & prælium.

Vita Chriſtiana eſt veluti non intermiſſus in ſtadio curſus; in quo meta eſt perfectio, ad quam Deus noſtrum ſingulos quemlibet ſecundum ſtatum ſuum vocat. Hoc in prælio noſtri inimici ſunt inordinatæ cupiditates noſtræ, quæ curſum retardare poſſunt, & inhibere. *Inimici hominis domeſtici ejus.* Strenue igitur ad utrumque voſmet diſponite curſum, & prælium; & ad id audite, quid vos doceat Apoſtolus, ne fortuito quidquam agatis in hac re, ſed ut vobis proponatis ſcopum, ubi quieſcatis, & inimicos, qui ſtatim vobis ſunt ſubjiciendi. Hoc eſt currere in incertum, velle ad terminum veſtrum pervenire, qui perfectio eſt; quin vobis proponatis acquiſitionem virtutum unius poſt aliam, & ante ceteras illam prius, quæ præ

reliquis vobis eſt magis neceſſaria, aerem verberare, ut ita dicam, eſt, ſperare vos generatim de omnibus cupiditatibus veſtris victoriam eſſe relaturos, quin ſingillatim illi opugnandæ operam detis, quæ dominatur in vobis. Numquid hanc normam hactenus eſtis ſecuti? Conſideraſtiſne quænam illa ſit virtus, qua præcipue indigetis, ut ad illam potiſſimum acquirendam contendatis? Noſtiſne affectionem illam, quæ dominatur in vobis, ut ad illam impugnandam voſmet præparetis? Neque hoc ſatis eſt; docendi eſtis, quænam ſit aptiſſima ratio curſus veſtri inſtituendi, & feliciter pugnandi. *Sic curro, ſic pugno*, inquit Apoſtolus. *1. Cor. 9.* Niſi ſecuti fueritis, ſecundum S. Pauli exemplum, methodum illam, quæ vos maxime decet, curſus, & & prælia vobiſmet benevertere non poterunt. Hæc cupiditas, quæ in me dominatur, quæ reliquas movet, & quæ primum eſt omnium actionum mearum principium, illa eſt, cui ante cæteras bellum mihi eſt inferendum. Donec huic parco, & forte in infirmiores inimicos digladior, aerem verbero. *P. Segneri.*

Mortificatio æque neceſſaria eſt, ac oratio.

Neminem latet Orationem maximæ neceſſitatis eſſe in Chriſtianiſmo, & hanc illam eſſe, a qua voluit Deus ſpem omnem & gloriam in Cœlo pendere; at aliquem fortaſſe latet, mortificationem, quæ eſt aptiſſima ad orationem præparatio, unum eſſe ex præcipuis noſtris officiis. Animadvertit Sanctus Gregorius duas Jeroſolymæ in Templo aras fuiſſe; alteram quidem holocauſtorum; alteram vero thymiamatum. Holocauſtorum altare poſitum erat in veſtibulo Templi; illud vero thymiamatum e conſpectu Sancti Sanctorum, ut intelligeremus, Sanctus hic Pontifex ait, cor noſtrum nequaquam Deo iri conjunctum, niſi quatenus ipſi corpus noſtrum immolabimus; ut Sanctuarii adeundi jus acquiramus, primum faciendas eſſe expiationes, atque ut adoleamus thymiama fervore orationum noſtrarum, nobis jugulandas eſſe tamquam victimas cupiditates, quæ carnem noſtram ad rebellandum impellunt. Ita omnium fidelium vocatio, non ſecus ac illorum qui præſunt, ipſis eſt carnem ſuam crucifigere, & longis hauſtibus cum Jeſu Chriſto bibere ex torrente lacrymarum ejus ut cum illo in gaudiorum ſuorum æternitatem ingrediamur. Cur autem Jeſu Chriſti crux in cordibus, & carne noſtra non imprimatur non ſecus ac in Religioſarum domuum fronte celatur. Nihil prohibet quominus de nobis dici faciamus, quod de Chriſtianis omnibus dicebat Sanctus Auguſtinus, vitam noſtram non aliud eſſe quam crucem, & juge martyrium. *Auctor recens.*

Lex Jeſu Chriſti lex eſt mortificationis.

Neceſſitas exterioris hominis crucifigendi unum ex illis placitis eſt, quæ Mundus non capit. Caro, & ſanguis aciem veluti conſtituunt, ut quidem Apoſtolus inquit, cum concupiſcentiis, & immortificatis cupiditatibus, ad pugnandum contra ea omnia, quæ ad eorum excidium conjurant, & intelligere nequeunt, quod ſenſuum mors ſpiritus vitam producat. Numquid ergo Chriſti fideles inter Jeſu Chriſti paſſiones concepti, & in cruce geniti, majorem habebunt horrorem ab iis, quæ eos poſſunt a ſenſibilibus objectis avellere, quam Ethnici ipſi, homines illi ſenſibus ſuis dediti, & obnoxii cupiditatibus ſæculi? Tota Filii Dei morum diſciplina procurratur; homines qui jam cæci ſunt corde, cæci quoque mente fiant, ut, ſi fieri poſſit, doctrinæ illius omnino cœleſti aliquod afferant lenimentum, ſemper ad hanc redibunt veritatem numquam in dubium revocandam; legem videlicet Evangelicam legem eſſe mortificationis; Jeſum Chriſtum auſterum eſſe magiſtrum non niſi humiliationes, cruceſque docentem; & in Chriſti caſtra tranſire, eſſe idem, ac aſſumere neceſſitatem moriendi carni, ut vivas ſpiritu, ſibimet abrenunties, ac inceſſanter tuis concupiſcentiis obluctæris. *Auctor recens.*

Fideles ut æternam vitam mereantur, ducunt in terris vitam morientem per mortificationes.

Veri fideles, licet non ſecus ac homines reliqui pateant iiſdem ærumnis, & pœnis vitæ hujus; ſi non habent, quod patiantur, ipſi ſibi quæritant afflictiones doloreſque per ſenſuum ſuorum mortificationem; per pugnam, quam inferunt carni ſuæ, per jugem reſiſtentiam inordinatis naturæ corruptæ deſideriis. Lacrymis eluunt, quod peccant; ſuas lugent infirmitates, contremiſcunt intuiti pericula, quibus patent. In exilio ſuo ſuſpirant ob ardens æternæ felicitatis ad quam evocantur, deſiderium. Mortificatio igitur, pœnæ, tribulationes ſunt pars juſtorum in terris, quid dico? Hoc omnia volentibus accidunt & ipſis de incolatus ſui diuturnitate querentibus, mundus oblectatur, & gaudet. Sed heu quam alia eorum ſors eſt! Illa ad vitam æternam, hi autem ad æternam mortem feruntur. *Tourneux in Anno Chriſtiano. Tomo 6.*

Ad ſequendum Dei Filium ſui abnegatio non ſolum requiritur; ſed ſenſum mortificatio.

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Jeſus Chriſtus ferre debet ſuper humeros ſuos Crucem, in qua moriturus eſt, & hac in re vult, ut quicumque volunt illius eſſe diſcipuli, imitentur ipſum, Hoc autem fit patienter ferendo, & ſubmiſſe acceptando omnes vitæ pœnas, & afflictiones, ſuſtinendo perſecutiones propter juſtitiam, & vitam ſuam offerendo pro Jeſu Chriſto, ac turpiſſima quælibet, ſi opus eſt ſufferendo ſupplicia, quale erat Crux apud Judæos. Chriſtum ſequi eſt Doctrinam ejus recipere, legem ejus obſervare, ejuſque exemplum imitari. Ut enim quis ſit ejus diſcipulus, non ſolum debet Jeſum Chriſtum omnibus præferre, paratum eſſe ad jacturam faciendam eorum omnium, quæ poſſidentur propter amorem Dei, verum etiam ſenſus ſuos mortificare, auſteritatem exercere, affectibus ſuis imperitare; quæ omnia ſunt de præcepto; Quicumque enim hæc minime facit, omnino ſalvari non poteſt. *Le Tourneux in Anno ſuo Chriſtiano. Tomo 6.*

Quamvis mortificatio exigat auſteritatem, hoc tamen non eſt jugum non ferendum.

Chriſtiana mortificatio attenta eſt regendis ſolatiis, ubi culpa vacant, iiſque evertendis, cum ſunt nocentia. Quemadmodum verum illius officium eſt opponere hominem pœnitentem, qui carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis crucifigit, homini ſenſuum voluptatibus dedito, qui illam palpat, eamque idolum ſibi conſtituit; numquam majori pollemus induſtria, quam cum lenimenta quædam, vel prætextus excogitamus ex ipſa natura, & eſſentialibus hujus officii qualitatibus, timentes, ut amittamus, quemadmodum Tertullianus ait, ſuavitatem aliquam vitæ mollis, quam ducimus, & de voluptatum perfruitione deturbemur. Scire igitur oportet requiſitas ad Chriſtianam mortificationem qualitates, ne hac in re decipiamur. Hæc igitur neceſſario eſſe debet auſtera; eamque aliter intueri, videlicet tamquam mortificationem ſuavem, indulgentem, nihil voluptatis adimentem vitæ molli, & inerti; hoc eſt vehementer errare. Verum licet exigat a peccatore auſteritatem, non eo procedit, ut nobis etiam imponat (quod mundi ſectatores devitant) onera non ferenda; e contra vero in iis tantum conſiſtit, quæ cum ultro acceptata fuerint ab eodem Salvatore, nos minime deterrere debent propter vim, quam nobis ipſis facere debemus, ut illi noſmet ſubjiciamus. *Serm. morales de Myſteriis Domini noſtri. Tomi 6.*

MUNDUS.

Vanitas, Inconſtantia, fragilitas rerum hujus mundi, illius gaudia, voluptates &c.

MONITUM.

*Z*ihil frequentius eſt, ſæpiuſque repetitum, ſermonibus, ſcriptis, diſſertationibus, concionibuſque, quam hoc de mundi vanitate, de fragilitate, brevique bonorum, gaudiorum, pomparum ejus &c. duratione argumentum. Hoc Ethnici quoque ſuos opplevere libros; & ſæpe qui hæc ardentius concupiſcunt, atque depereunt, de iis majori cum contemptu loquuntur; verum illud maxime miſerum eſt, quod iis licet per baptiſmum abrenuntiavimus, attamen nihil eſt, cui impenſius adhæreamus. Hac de cauſa argumentum hoc minime prætermittendum cenſui, quamvis commune ſit; exiſtimavique, Auctorum, qui illud pertractarunt, multitudinem obeſſe non debere, quominus colligerem quidquid inveni magis accommodatum ad mundi contemptum, terrenarumque rerum fugam, odiumque ciendum.*

Cum de hoc argumento in omnibus fere concionibus accidat ſermo, cumque alibi locuti ſimus de ambitione, dignitate, ſpectaculis, vita molli, ac divitiarum amore; hoc in loco generatim dumtaxat de vanitate rerum terrenarum, de contemptu a Chriſtianis omnibus habendo, de falſitate bonorum ejus loquemur; quæ quidem cor hominis replere, eique veram voluptatem præbere non poſſunt.

Fatendum eſt tamen, cum latius hoc pateat argumentum, nonnumquam ad peculiaria per inductionem eſſe deſcendendum, atque oſtendendum, quanta ſit, exempli gratia, divitiarum vanitas, quam parvi facienda hominum exiſtimatio, principum gratia, honor, qui illi adhibetur, ut aperte ſentiatur amaritudo, quæ vita hujus voluptatibus admixta eſt, & gravis dolor, qui illas ſubſequitur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. EX omnibus mundi hujus bonis illud, quod procul dubio pretioſiſſimum eſt, & quod ardentius perſequimur, quæſitumque accuratius tuemur, gloria eſt; quia hoc non ſolum præfertur cæteris, verum etiam pro hoc cætera in diſcrimen vocantur, eorumque jacturam flocci pendimus, dummodo illud ſervemus. Ideo oſtendendo vanitatem boni hujus, & quo in pretio habenda ſit a Chriſtiano viro gloria, quæ in mundo poteſt acquiri, oſtendimus ſimul cæterorum vanitatem bonorum, quæ, ex ſapientum virorum ſententia, nullo modo poſſunt cum hoc comparari. Hoc autem in animo eſt hac concione præſtare; ubi oſtendimus, 1. Mundi gloriam in principio ſuo odioſam eſſe: 2. in natura ſua vanam, futilem, & chimæricam: 3. fluxam, brevique duraturam.

1. Mundi gloria in principio ſuo odioſa eſt; hanc enim in mundo caſus, aut gratia, vel ſcelus deferunt. Cauſas quidem; quod efficit, ut ſæculi principes contemnantur, & tot querelis, atque murmurationibus locum præbet. Cur, dicitis, ille vir, quem, me loquente, taciti deſignatis, repentino volatu ſupra me in ſublime fertur? Cur illum fulgentem video, me interim in pulvere prorepente? Numquid illius virtus, ac meritum eſt dignitatis ejus principium? Ego novi ingenii illius mediocritatem, ac improbitatem ſpiritus. Fortuna ludibunda illum extulit; caſus favorabilis eum in hoc gradu conſtituit; affinitas fortuita cum iis, qui plurimum pollent, illum evexit; ſæpe turpis ſervitus illis impenſa viris, quos populo fortuna ſecrevit, ſubitæ magnitudinis origo eſt: caſus denique commune eſt gloriæ hujus mundi principium. 2. Scelus etiam alterum principium eſt humanæ elationis. Immenſum hoc magnitudinis incrementum ſæpe uſurpationi debetur: nonnumquam per turpiſſima miniſteria, fœdaſque aſſentiones via ad principes viros ſternitur; ſæpe etiam ideo in publico aliquis honore excipitur, quia abominabilis eſt coram Deo. 3. Ut plurimum vero gratia meriti locum obtinet; Principis, Regiſque gratiam aliquis obtinet, illum ſibi patronum, præſidiumque nanciſcitur; & tamquam Princeps colitur ille, quem princeps ſua familiaritate dignatur. Quid contemptibilius, quam hoc elationis principium, quod caſui, & ſæpe etiam ſceleri innititur.

Secundo, mundi gloria, ſi illius natura ſpectetur, vana eſt: quid enim magis ineptum, atque chimæricum? Etenim mundi æſtimatio, in qua proprie mundana gloria conſiſtit, non aliud eſt, quam favorabilis rumor, qui de nobis percrebeſcit; cognitio eſt, qua mundus ſcire vult, quid valeamus, & quid ſcimus. Hæc eſt humani cordis faſcinatio, hoc idolum eſt, cui ſacrificant univerſi, quos mundus ſeducit; & qui tamquam ſupra vulgus poſiti exiſtimantur. Oſtendendum eſt, quam vana ſit hæc gloria, quæ in hominum exiſtimatione, judicioque conſiſtit. 1. Hæc enim tota in alieno eſt, nihilque re ipſa in nobis conſtituit; nos nequaquam magis virtute præditos efficit; nec alios ab illis, qui ſumus. 2. Ab illis nobis defertur, a quibus minime cognoſcimur, & qui ſcire nequeunt, utrum illam mereamus; qui ex externa duntaxat judicant ſpecie, & qui interiores cordis ſinus nequaquam inſpiciunt; qui ideo neſciunt, quanam in re vera merita ſint poſita. Hæc igitur gloria inanis eſt, & chimærica. 3. Plerumque injuſta eſt; qua enim juſtitia homines hanc gloriam diſtribuunt? Quot virtutes obſcuræ, neglectæque in caligine ſqualenti? Quot vera merita derelicta, & ſine ratione ulla poſthabita? Quot uſurpatores gloriæ, quæ ad ipſos minime pertinet? Quot mali judices indignis eam tribuunt laudem quam minime meriti ſunt; *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Pſ. 6.

Tertio, mundi gloria fluxa eſt, ac brevi duratura, quod efficit, ut in Scripturis omnia bona, ac terrenæ proſperitates exhibeantur veluti ſomnium, juxta eam animadverſionem, quæ ex hujus tractatus decurſu videbitur, necnon veluti fumus, qui ſeſe attollit, & evaneſcit. Hujus gloriæ mobilitas nihilo obſcurior eſt, quam ejus diuturnitas; omnium enim ſæculorum experientia nos docuit ſextentos viros poſtquam gloria cumulati fuerunt, lapſos eſſe in contemptum, opprobrium, & confuſionem; & quemadmodum gloria pendet ab hominum imaginatione, quæ inconſtans, ac mutabilis eſt, hæc nihilo conſtantior eſt illa: immo uſuvenit, quod confuſio, quæ honorem, ac dignitatem ſubſequitur, major ſit, doloremque afferat graviorem. Ex his omnibus inferendum eſt, quod ſi gloriæ cupidi ſumus, ſolidam, veram, æternamque gloriam quærere debemus &c. *Excerptum ex manuſcripto ſermone P. Franciſci Catrou.*

1. Mundum contemnere debemus non Philoſophorum more propter illius fragilitatem, inconſtantiam, ac vile pretium eorum bonorum, quæ pollicetur, & quæ dare ſæpe non poteſt; ſed more Chriſtianorum, qui toto cœlo poſiti ſunt ſupra ea omnia, quæ in mundo ſunt, atque ad æterna, ac ſolida bona contendunt. 2. Terrena hæc relinquere debemus non propter tædium, aut indignationem, & quamdam ultionis ſpeciem, ut illi qui a mundo recedunt, quia ſe derelictos vident, ſed quia illa horrere debemus propter ea, quæ in luſtrali fonte promiſimus. 3. Mundo mori debemus, & uti loquitur Sanctus Paulus, eidem crucifigi: hoc eſt non affici illius gaudiis, voluptatibus, cæteriſque rebus, quæ cor humanum ſeducere conſueverunt; idque non Stoica ſtupiditate, ſed integra cordis, & affectus abnegatione, quæ perfectio eſt, ad quam adniti debet Chriſtianus. II.

1. Hujus mundi bona in ſe parva res ſunt, eaque imperfecte tantummodo poſſidemus. 2. Hæc nec meliores nos, neque perfectiores efficiunt. 3. Nos corrumpunt, quia illis adhæreſcimus, eaque in pravum uſum convertimus. III.